ogm. 895-11



<36610196490019
<36610196490019
Bayer. Staatsbibliothek

Jusp. 895 – 11.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE POENITENTIÆ SACRAMENTO,

QUAS

CUM IN ALMA ET ARCHI-EPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMPTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ AUDITORIBUS SUIS

EXPOSUIT

P. HERMANNUS SCHOLLINER,

BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,

SS. Theologiæ Doctor, & Dogmatico-Speculativæ in eadem Univerſitate Profeſſor Publ. Ord. & S. Facultatis Theolog. p. t. Decanus, Celſiſſimi & Reverendiſſimi Archiepiſcopi & S.R.I. Principis Salisburg. Conſiliarius Eccleſ. Congregationis Majoris Academicæ Præſes.

TOMUS XI.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

Approbatio Censoris.

Tractatus hic Theologicus de Sacramento Pœnitentiæ, non solum nec Fidei nec bonis moribus repugnat, sed varias difficultates perspicua claritate, doctrinæque soliditate accuratè pertractat, publico conspectu, usu & plausu dignus. Augustæ Vind. die 21. Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ Canonicus Capitularis, Serenissimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Episc. Augustani, Landgravii Hassiæ, Consiliarius Ecclesiasticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimensis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciscus Josephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniss. Princ. & Episc. Augustan. Consil. Eccles. Maj. Pœnit. & Libr. Cens. nec non Insign. Eccles. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Approbatio
Sacræ Facultatis Theologicæ.

Præsentes *Prælectiones Theologicas de Sacramento Pœnitentiæ*, cum non modo nihil contra fidem Romano-Catholicam, aut bonos mores, sed potius genuinam Ecclesiæ Doctrinam, & saluberrimam vitæ Disciplinam, præter insignem Ecclesiasticæ Historiæ notitiam, contineant: Dignissimas esse censeo, ut pro ulteriore Clarissimi Authoris gloria, & legentium eruditione veluti aquæ dividantur in plateas, orbique litterario communicentur.

Dabam in Alma & Archiep. Universitate Salisburgensi die 15. *Novemb. Anno* 1765.

P. RUPERTUS GUTRATH

O. S. B. SS. Theol. Doctor, ejusdem in Speculativo - Dogmaticis Prof. Ordin. Celsiss. ac Rev. Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. Consiliar. Eccles. S. Facultatis p. t. Decanus.

Licen-

Licentia

Reverendiſſimi Domini D. Abbatis Oberaltacenſis.

Nos Joannes Evangeliſta D. G. Exemti Monaſterii S. Petri ad Quercum Superiorem Ordinis SS. P. Benedicti in Bavaria inferiore Abbas, p. t. Almæ & Archi-Epiſcopalis Univerſitatis Salisburgenſis Aſſiſtens, & Exemtæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Viſitator Primarius, Clariſſimo Viro, ac perdilecto Capitulari noſtro A. R. P. Hermanno Scholliner SS. Theologiæ Doctori, ejusdemque in præfata celeberrima Univerſitate Profeſſori ordinario Publico, ac p. t. S. Facultatis Decano, nec non Reverendiſſimi & Celſiſſimi S. R. I. Principis Salisburgenſis Conſiliario Eccleſiaſtico, hiſce facultatem impertimur, ut opus ſuum, cui titulus *Prælectiones Theologicæ*, ſervatis cæteroquin ſervandis, pro communi bono Reipublicæ litterariæ, præcipue ad uſum ſtudii noſtri Generalis, typis evulgare valeat. Actum in Monaſterio Oberaltacenſi die 5. Julii 1765.

(L.S.)

JOANNES EVANGELISTA
ABBAS.

AD LECTOREM.

Haud prolixa Te in limine præfatione morabor, Lector optime! ſolam rationem indicare contentus, quæ impetrare a me potuit; ut poſt tot edita Theologici curſus opera & ſyſtemata noviſſimum hoc & ego ſuperadderem, idque juris, quod alii uſurparunt, mihi quoque vendicarem.

Contigit nempe labente hoc anno, ut Reverendiſſimi DD. Præſules & Patres conſcripti Almæ & Exemtæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ, in comitiis generali-

neralibus de more confidentes, propofitum de perficiendo ftudio theologico fyftema potioribus calculis comprobarent, & præter alia faluberrima ftatuta id quoque fancirent, ut eliminata, quæ hactenus obtinuerat, dictandi, fcribendique methodo, typis impressa theologicorum Tractatuum opufcula Religiofis Auditoribus deinceps prælegerentur, quo tempus fupereffet, facris linguis & Scripturarum ftudio utiliffime impendendum.

Cum autem de aliquo e tot Auctoribus feligendo conquifitio fieret, nefcio quo pacto accidit, ut in me reliquorum minimum vota confpirarent, mihique a Reverendiffimo DD. Præfide Generali, fuo totiusque concilii nomine, provincia gratiofe demandaretur, tractatus omnes Theologicos, quos antea in ejusdem congregationis ftudio, *communi* dicto, & in hac Alma Univerfitate per plures annos calamo excipiendos dictaveram,

ram, prelo ſucceſſive ſubmittendi, ordinariis deinceps prælectionibus deſtinatos.

Etſi vero & operis difficultatem cum pluribus aliis curis conjunctam, & temporis parcitatem, viriumque mearum tenuitatem ſatis perſentiſcerem: non potui tamen morem non gerere urgentibus tantopere poſtulatis, quæ pro imperio venerari decebat, &, quod vanæ quorumdam adulationes, ac ſeria amicorum monita, nunquam a me impetraverant, Superiori tandem nutui cedendum ratus humeros oneri ſubmittere conſtitui, de Libellorum fato non adeo ſolicitus, de divina ope ex obedientiæ merito unice confiſus.

At enim, neceſſitabis forte, ſi ita res habet, cur non a capite, tractatu de Deo, ſed a calce, ultimis ſcilicet Sacramentis, orditur hæc theologia, & ante primum undecimus in lucem prodit tomulus?

 Malue-

Malueram ego quoque ab ovo inchoare, eo etiam ex capite; ut plusculum temporis lucrarer, quo immaturos fœtus ſolicite lambere, & ad limam cum cura revocare poſſem. Verum non ut tua & mea vota, ſic & fata ferebant, idemque pene mihi accidit, quod Clariſſimo *Witaſſio*, quo cum tamen, abſit, comparare me velim, cujus celebratiſſima opera (utinam integra!) cum *Pariſiis* excuderentur, ab hoc ipſo tractatu de *Pœnitentiæ* Sacramento exordium duxerunt.

Nempe urgebat capitulare Statutum, ut receptum Syſtema illud executioni mandaretur, iidemque tractatus, qui recepto ex more, Univerſitati etiam noſtræ communi, ad complendum Theologicum curſum dictandi ſupererant, abolita jam ſcriptione ex auctore impreſſo prælegerentur. Erit autem, ſi vitam mihi viresque conceſſerit propitium Numen, ut poſt quatuor annorum decurſum

integra compareat harum Prælectionum collectio XII. tomulis comprehensa, quorum ordinis & temporis seriem adjectum schema exhibet.

Quodsi exin uberius otium nancisci potero, animum forte adjiciam, ut Apparatus de Locis Theologicis, eadem forma excusus, subsequatur, in III. Partes divisus, quarum I. dabit Introductionem in Theologiam revelatam adversus Atheos, Naturalistas, Indifferentistas &c. II. de Verbo Dei scripto & Tradito, III. de reliquis Locis pertractabit. Vereor autem, ut aliter disponat Deus, quam homo proponit, quod Illius providentiæ relictum esto.

Habes hic, Lector Optime! instituti mei rationem, in quo, ut pie confido, post sacratissima fidei dogmata securas ubique sectari studui opiniones, a suspecta novitate remotas. Sed nolim ego ante tempus judicare: Tuum erit, ut, si quos forte repereris nævos,

vos, caute declines, aut modeſte etiam redarguas, nihil humani alienum à Te reputans: ſi vero aliquantulum inde profeceris, Deum omnis boni Auctorem mecum collaudes, qui inutili etiam inſtrumento quandoque utitur ad alterius profectum.

Vale!

Schema

Prælectionum secundum naturalem seriem.

TOM. I. *De Deo Uno & Trino.* An. 1767.

II. *De Deo Creatore Angelorum & hominum.* - - 1767.

III. *De Deo Ultimo fine & beatitudine, Actibus humanis & conscientia.* - - 1768.

IV. *De Legibus & peccatis.* - 1768.

V. *De Incarnatione Verbi, & cultu Sanctorum &c.* - - 1768.

VI. *De gratia Actuali.* - - 1766.

VII. *De Gratia Habituali, Justificatione, Merito, Virtutibus theologicis.* - - 1766.

VIII. *De*

TOM. VIII. *De Virtutibus Moralibus.* An. 1766.

IX. *De Sacramentis generatim.* 1769.

X. *De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ.* - - - 1769.

XI. *De Sacramento Pœnitentiæ.* - - - 1765.

XII. *De Extrema Unctione, Ordine & Matrimonio.* 1765.

Schema

Schema

Prælectionum secundum ordinem temporis, quo prodibunt.

TOM. XI.	*De Pœnitentia.* - -	An. 1765.
XII.	*De Extrema Unctione &c.*	1765.
VI.	*De Gratia actuali.* -	1766.
VII.	*De Gratia Habituali &c.*	1766.
VIII.	*De Virtutibus Moralibus.*	1766.
I.	*De Deo Uno & Trino.*	1767.
II.	*De Deo Creatore Angel. & Hom.* - - - -	1767.
III.	*De Deo ultimo fine &c.* -	1767.
V.	*De Incarnatione &c.* -	1768.
IV.	*De legibus & peccatis.* -	1768.
IX.	*De Sacramentis generatim.*	1769.
X.	*De Baptismo &c.* - -	1769.

CON-

CONSPECTUS.

Numerus designat paginam.

CAPUT I.

De Virtute Pœnitentiæ.

§. I.

De actibus, quos virtus pœnitentiæ involvit.

Resolutio I. Ad veram pœnitentiam requiritur dolor & deteſtatio peccati proprii commiſſi. Pag. 5.

Resolutio II. Ad veram pœnitentiam Jure naturæ requiritur dolor de peccato, quia eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, id eſt, requiritur actus Charitatis. 8

Resolutio III. Vera pœnitentia involvit efficax emendandi propoſitum. 15

Reſolutio

Resolutio IV. Ad veram pœnitentiam in ordine ad impetrandam remissionem culpæ requiritur in pœnitente propositum præstandi Deo compensationem possibilem pro injuria eidem irrogata juxta arbitrium ipsius Dei. Pag. 16

§. II.

De necessitate pœnitentiæ.

Resolutio I. Peccatori adulto poenitentia interna cum necessitate medii, tum præcepti in re est necessaria: externa, dum in re haberi nequit, saltem in voto requiritur. 26

Resolutio II. Præceptum pænitentiæ per se obligat peccatorem non tantum in articulo & periculo mortis, nec tantum semel in anno, sed toties, quoties peccata practice memoriæ occurrunt. 30

§. III.

De effectu pœnitentiæ.

Resolutio I. Ad peccatorum venialium remissionem requiritur pœnitentia. 40

Resolutio II. Peccatum veniale remitti non potest sine mortali. 42

Resolutio III. Peccata semel per poenitentiam dimissa non redeunt ad culpam simpliciter, sed tantum secundum quid. ibid.

Resolu-

Resolutio IV. Merita, per peccatum subsequens mortificata, per pœnitentiam reviviscunt, non tamen ordinarie ad eum gradum, quo antea fuerant, sed commensuratum præsenti pœnitentis dispositioni. Pag. 45.

CAPUT II.

De Sacramenti Pœnitentiæ essentia & existentia.

§. I.

An detur in Ecclesia potestas remittendi omnia peccata, & in quo consistat?

Resolutio I. Existit in Ecclesia potestas remittendi peccata. 54

Resolutio II. Illa potestas non consistit in prædicatione Evangelii, nec in sola facultate conferendi baptismum. 55

Resolutio III. Potestas illa non consistit in declaratione criminis a Deo dimissi, sed in ipsa remissione Sacerdotis, Dei nomine facta. 57

Resolutio IV. Potestas clavium non spectat solum externum Ecclesiæ regimen. 60

Resolutio V. Hæc potestas se extendit ad omnia crimina; ita ut nullum peccatum sit irremissibile. ibid.

§. II.

An pœnitentia ſit verum N. L. Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum?

Reſolutio I. Pœnitentia eſt verum N. L. Sacramentum. Pag. 68.

Reſolutio II. Pœnitentia eſt Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum. 69

§. III.

A quo & quo tempore inſtitutum fuerit hoc Sacramentum?

Reſolutio. Inſtitutum fuit a Chriſto poſt reſurrectionem Joan. 20. 73

§. IV.

De Sacramenti hujus eſſentia generatim.

Reſolutio I. Abſolutio non eſt materia, ſeu tota Sacramenti eſſentia, ſed eſt forma. 77

Reſolutio II. Non eſt vero ſimile, manuum impoſitionem eſſe materiam hujus Sacramenti. ibid.

Reſolutio III. Materia Sacramenti pœnitentiæ ſunt ipſius pœnitentis actus, contritio, confeſſio, & ſatisfactio: quamvis non quilibet iſtorum actuum ſit in re neceſſarius, & eſſentialis Sacramento. 82

CAPUT III.

De Contritione.

§. I.

De natura & proprietatibus contritionis.

Resolutio I. Contritio non eſt tantum terror incuſſus conſcientiæ, aut mera hominis paſſio, ſed actio libera, heneſta. 87

Resolutio II. Contritio debet involvere odium vitæ veteris extenſive ſeu appretiative ſummum, & novæ propoſitum formale & explicitum. 89

Resolutio III. Contritio debet eſſe ſupernaturalis. 93

Resolutio IV. Contritio debet eſſe vera, non ſolum exiſtimata. 95

Resolutio V. Contritio eſt cauſa remiſſionis peccatorum, nimirum diſpoſitiva, quæ poteſt dici de congruo late ſumto meritoria. 98

§. II.

An intra Sacramentum ſufficiat attritio ex ſolo gehennæ metu concepta?

Resolutio I. Attritio ex metu gehennæ concepta eſt actus honeſtus, ſupernaturalis, & ad Juſtificatio-

 ficatio-

ficationem, non quidem proxime, disponens. Pag. 104.

Resolutio II. Attritio servilis ex solo metu gehennæ concepta, absque amore initiali ad Justificationem intra Sacramentum non sufficit. 106

Resolutio III. Opinio docens sufficientiam attritionis mere servilis, non est practice tuta. 121

§. III.

De contritionis perfectæ necessitate.

Resolutio I. Ad Justificationem intra Sacramentum non requiritur contritio perfecta, ex charitate sive habituali sive actuali in- & extensa proveniens. 139

Resolutio II. Ad justificationem intra Sacramentum necessaria est contritio ex actu Charitatis saltem initialis proveniens. 143

Resolutio III. Actus Charitatis ad contritionem necessarius debet esse *amicitiæ*, id est, non requiritur amor pure benevolus, seu, ut ajunt, desinteressatus: adeoque sufficit amor concupiscentiæ; qui tamen non est actus spei, ut Adversarii falso supponunt. 155

Resolutio IV. Non quilibet actus Charitatis debilis & remissus infallibiliter justificat extra Sacramentum. 157

Resolu-

Resolutio V. Ut contritio perfecta extra Sacramentum justificet, non requiritur certa duratio temporis, 2. requiritur tamen intensio tam ex parte actus soli Deo cognita, 3. quam intensio virium, & extensio. 172

CAPUT IV.

De Confessione.

§. I.

De divina confessionis institutione.

Resolutio. Distincta peccatorum gravium apud Sacerdotem confessio est a Christo præcepta, & in Ecclesia continuo usitata. 180

§. II.

De Materia confessionis.

Resolutio I. Materia confessionis necessaria sunt peccata gravia post Baptismum commissa, specie & numero distincta: 2. Venialia sunt materia sufficiens: 3. Ordinarie libera. 4. Quandoque etiam necessaria. 192

Resolutio II. Circumstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes in confessione necessario sunt exponendæ. 195

Resolutio III. Peccata proprie seu positive dubia, quae quis probabilius judicat esse gravia,

aut a ſe commiſſa, nec hactenus in confeſſione manifeſtata, exponenda ſunt ut dubia: peccata negative dubia, dum quis absque ſufficienti ratione hæſitat, an peccatum commiſerit &c. ut ſcrupuli tractanda ſunt, de quibus Tract. de conſcientia. 202

§. III.

De variis Confeſſionum generibus.

Reſolutio I. Confeſſio publica criminis occulti non eſt jure divino præcepta. 206

Reſolutio II. Olim in Ecclesia viguit voluntarius publicæ confeſſionis uſus. 208

Reſolutio III. Publica confeſſio quandoque peccatoribus etiam ab Eccleſia injuncta fuit. ibid.

Reſolutio IV. Peccata mere occulta, & quæ lege civili capite plectenda erant, publicæ confeſſioni non erant ſubjicienda. 210

Reſolutio V. Confeſſio per litteras aut internuntium Sacerdoti abſenti in ordine ad abſolutionem ſacramentalem facta, a Clemente VIII. illicita declarata fuit. Diſputatur, an hodie valeat, aut unquam valuerit; etſi per ſe loquendo valere poſſit. 211

Reſolutio VI. Antiquus eſt confeſſionum generalium, de omnibus peccatis poſt baptismum commiſſis ſingillatim ſe accuſandi uſus. 215

§. IV.

De Confessionis proprietatibus.

Resolutio I. Confessio in re vel voto adultis necessitate medii necessaria est. 219

Resolutio II. Præceptum divinum confessionis sacramentalis obligat per se in probabili periculo mortis: per accidens autem, dum quis suscipere Sacramentum, aut in statum gratiæ se debet constituere. 221

Resolutio III. Probabilius videtur, non exstare præceptum de statim facienda confessione, quando post commissum grave peccatum practica illius recurrit memoria, & adest copia confessarii. 222

Resolutio IV. Confessio saltem semel in anno necessaria est præcepto Ecclesiastico. 226

Resolutio V. Confessio non semper materialiter, sed formaliter integra esse debet. 227

CAPUT V.

De Satisfactione & Indulgentiis.

§. I.

De Satisfactionis necessitate.

Resolutio I. Dimisso reatu culpæ & pœnæ æternæ

næ non ſemper remittitur omnis reatus pœnæ temporalis, cui per opera laborioſa a Pœnitente ſatisfieri debet. 233

Reſolutio II. Per opera laborioſa aut ſponte ſuſcepta, vel a Confeſſario impoſita, Deo ſatisfieri poteſt. 238

Reſolutio III. Sacerdos ejusmodi pœnas merito imponit, imo ad hoc obligatur. 242

§. II.

De neceſſitate proportionatæ ſatisfactionis.

Reſolutio I. Sacerdos jure divino tenetur Pœnitenti imponere ſatisfactionem, gravitati criminum & facultatibus pœnitentis proportionatam, & Pœnitens obligatus eſt eam acceptare. 246

Reſolutio II. Si Sacerdos leviorem, quam oportuerat, impoſuerit pœnitentiam, tum Pœnitens ipſe Jure divino & naturali obligatur, graviorem & proportionatam ſatisfactionem ſponte in ſe ſuſcipere. 253

Reſolutio III. Sacerdotes etiam tempore Jubilæi, aut indulgentiæ plenariæ, tenentur imponere ſatisfactiones criminibus pœnitentis proportionatas, non ſolum medicinales, ſed etiam compenſatorias. 258

Resolvitur Quæstio, an Pœnitens satisfacere possit in statu peccati mortalis. 266

§. III.

De Ritu Pœnitentiæ Veteris.

Refertur disciplina Ecclesiæ Veteris. 269

De quatuor Pœnitentium gradibus. 276

Resolutio I. Non omnia peccata gravia subjecta fuerunt pœnitentiæ canonicæ & publicæ, si sumatur pro solemni quatuor stationum decursu. 279

Resolutio II. Omnia peccata gravia olim fuerunt punita per denegationem Eucharistiæ ad tempus, seu per quartum gradum consistentiæ: quæ tamen sola, absque transitu priorum graduum, non erat pœnitentia publica simpliciter & stricte, seu solennis censenda. 283

Resolutio III. Peccata publica non solum canonica, id est, idololatria, homicidium & adulterium, sed etiam alia atrociora, sive publica notorietate facti, sive Episcopo denuntiata, & convincenter probata subjiciebantur pœnitentiæ publicæ. 285

Resolutio IV. Peccata canonica occulta, a Pœnitente in secreta confessione sponte exposita,

ta, aut Epiſcopo clam denuntiata, ordinarie non puniebantur pœnitentia publica ſolenni: puniebantur tamen quarta ſtatione, ſeu conſiſtentia, quæ ſola non cenſebatur pœnitentia publica ſolennis. 287

Reſolutio V. Tribus prioribus ſæculis Clerici majores, puta Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ob crimina canonica pœnitentiæ publicæ non raro fuerunt ſubjecti: an autem iſta ſolennis fuerit per quatuor ſtationum decurſum? merito dubitatur. 291

Reſolutio VI. A Sæculo IV. Clerici majores a publica pœnitentia fuerunt exemti. 296

Reſolutio VII. Clerici Majores illis etiam ſæculis ad pœnitentiam publicam ſponte agendam fuerunt admiſſi. 297

Reſolutio VIII. Clerici minores usque ad Sæculum VII. pœnitentiæ publicæ fuerunt obnoxii, deinceps autem ab ea exemti. ibid.

Reſolutio IX. Hæretici ſive extra Eccleſiam nati, aut ante uſum rationis in ea educati, ſive a Catholicis Apoſtatæ, ad pœnitentiam & exomologeſin publicam tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis adigebantur: Quarto ſæculo hæc diſciplina obſervabatur erga ſolos Apoſtatas: cæteris extra Eccleſiam baptizatis citra publicam pœnitentiam admiſſis. 298

Reſolu-

Reſolutio X. Pœnitentia publica ſemel tantum agebatur in vita: qui poſtea deliquerat, ad privatam pœnitentiam, ſaltem in præcipuis Eccleſiis admittebatur. 299

§. IV.

De Indulgentiis.

Reſolutio I. Eccleſia a Chriſto accepit poteſtatem concedendi indulgentias. 305

Reſolutio II. Indulgentia eſt vera abſolutio, ſeu remiſſio, & quidem non ſolum pœnæ, à Confeſſario injunctæ, ſed ejus quoque, quam vi canonum injungere debuiſſet: eſt inſuper vera ſolutio facta Deo, quæ debitum expungit. 308

Reſolutio III. Indulgentia non ſolum remittit pœnam Eccleſiaſticam in hoc ſæculo perſolvendam, ſed & illam, quæ in altera vita ſolvenda eſt ab iis, qui hìc plene non ſatisfecerunt. 310

Reſolutio IV. Exiſtit in Eccleſia theſaurus, conſtans ex meritis ſatisfactionis Chriſti ſuperabundantis, quam Patri pro nobis exhibuit, & inſuper ex meritis ſanctorum, quæ dum viverent, ſibi compararunt. 311

Resolutio V. Ut indulgentia suum sortiatur effectum, requiritur 1. ex parte concedentis causa legitima: 2. ex parte operis injuncti proportio cum pœna, quæ remittitur: 3. ex parte subjecti debita dispositio. 317

Resolutio VI. Indulgentia etiam plenaria non liberat Pœnitentem ob obligatione congrue satisfaciendi Deo pro injuria: nec effectum plenarium consequitur, qui hoc proposito satisfaciendi caret. 322

Resolutio VII. Ministri Indulgentiarum ordinarii sunt soli Episcopi: Presbyteri autem & Clerici sunt extraordiuarii ex commissione Episcoporum. 335

Resolutio VIII. Subjectum Indulgentiarum sunt soli fideles, & quidem vivi: defunctis prosunt non quidem per modum absolutionis sed suffragii. 339

Resolutio IX. Indulgentiæ pro Defunctis concessæ iisque applicatæ non habent effectum infallibilem, nec certo semper animam e Purgatorio liberant; sed valent per modum solennis deprecationis Ecclesiæ, quam Deo liberum est acceptare, vel non, in totum, vel in partem, in quantum nempe illi defuncti, cum in vivis essent, propositum & conatum satisfaciendi habuerunt, seque indulgentiarum

rum fructu reddiderunt dignos, vel indignos. 340

Recensentur dispositiones ad lucrandas indulgentias requisitæ. 343

CAPUT VI.

De Absolutione.

§. I.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Resolutio I. In utraque Ecclesia usque ad sæculum X. forma absolutionis erat deprecatoria. 346

Resolutio II. A Sæculo X. ad XIII. frequentior fuit usus formulæ deprecatoriæ, quamvis etiam indicativa usurpari cæperit. 349

Resolutio III. Apud Græcos semper fuit, & adhuc in usu est forma deprecatoria. 350

Resolutio IV. Valida est græcorum formula deprecatoria: 2. Valida quoque inter latinos; 3. Quamvis ea adhibenda non sit, cum in administratione sacramentorum eligenda sit sententia tutior, & forma indicativa sit de præcepto. 351

§. II.

§. II.

An quibusdam peccatoribus olim negata fuerit absolutio?

Resolutio I. Primo Ecclesiæ sæculo nulli crimini etiam canonico venia negata fuit. 355

Resolutio II. Canonicorum criminum reis, qui pœnitentiam primum in extremo vitæ discrimine petierant, cum sani de reconciliatione non fuerint soliciti, secundo saltem & III. sæculo absolutio sacramentalis denegata fuisse videtur. ibid.

Resolutio III. In præcipuis Ecclesiis, tam orientis quam occidentis, canonicorum criminum rei, si pœnitentiam persolvissent, aut saltem sani inchoassent, absolutio sacramentalis non fuit denegata: quamvis quidam Episcopi in Africa & Hispania eandem negaverint. 362

§. III.

An absolutio sacramentalis olim concessa fuerit ante expletam satisfactionem?

Resolutio I. Prioribus sex Ecclesiæ sæculis peccatoribus, criminum Canonicorum reis & ad publicam pœnitentiam redactis absolutio *ordinarie*

narie non fuit concessa ante expletam satisfactionem. 369

Resolutio II. Illis Sæculis absolutio sacramentalis concedebatur post gradum consistentiæ. 377

Resolutio III. A Sæculo VIII. absolutio post aliquot annorum spatium ante totam expletam satisfactionem concedi consuevit. 378

CAPUT VII.

*De Mi*nistro Sacramenti Pœnitentiæ, ejusque qualitatibus & obligatione.

§. I.

An solus Sacerdos sit minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Resolutio I. Soli Sacerdotes, prout includuntur etiam Episcopi, sunt ministri Sacramenti Pœnitentiæ. 391

Resolutio II. In ministro ad validam absolutionem, præter potestatem ordinis sacerdotalis, requi-

requiritur etiam jurisdictio *ordinaria*, vel delegata. 400

§. II.

De Sigillo ſacramentali.

Reſolutio. Sigillum Confeſſionis omni jure, naturali, divino, Eccleſiaſtico ſub gravi peccato obligat. 403

DE POENITENTIA.

De ipſa pœnitentiæ etymologia in limine cum Proteſtantibus litigandum; volunt enim Iſti, græcam vocem μετανοια male â latino vulgatæ interprete redditam eſſe per *pœnitentiam*, cum metanoia nil aliud, quam reſipiſcentiam, ac conſilii mutationem ſonet, absque eo, quod amari quidpiam, doloris aut pœnæ in ſe contineat. At vero non ſacri ſolum, ſed profani quoque auctores metanoiæ ac pœnitentiæ nomine animi quamdam amaritudinem, ac dolorem afflictionemque denotant. Sic apud veteres Dea quædam erat Metanoia nomine, ſcelerum vindictam exigens, ut canit Ausonius: 1

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas;
Nempe ut pœniteat. Sic metanœa vocor.

Ita quoque de impiis, feram fed inutilem pœnitentiam agentibus ait Sapiens Cap. V. 3. *Dicent intra fe, pœnitentiam agentes* μετανοουντες, *& præ anguftia fpiritus gementes.* Auctor libri de vera & falfa pœnitentia fub AUGUSTINI nomine cap. 29. „ Pœnitere eft pœnam tene-„ re, ut femper puniat in fe ulcifcendo, quod „ admifit peccando. „ ISIDORUS quoque cum alibi fæpius, tum lib. VI. orig. cap. ult. „ Pœni-„ tentia, inquit, compellatur quafi *punitentia;* „ eoquod ipfe homo puniat pœnitendo in fe, „ quod male admifit. „ Atque ita Patres alii paffim, ut apud dogmaticos videre eft. Pœnitentia autem fpectari poteft vel ut virtus, vel ut facramentum. Qua *virtus*, eft animi dolor ac deteftatio de peccato commiffo fub ratione offenfæ Dei, cum propofito placandi Deum, & non offendendi de cætero. Duplex autem præcipue inter virtutem & facramentum pœnitentiæ differentia eft. 1. Quod *virtus* tota pofita fit in actibus Pœnitentis: *Sacramentum* autem requirat infuper abfolutionem Sacerdotis. 2. Quod *virtus* pœnitentiæ quovis tempore omnibus hominibus, mortalis peccati reis, etiam ante Baptifmi fufceptionem fuerit neceffaria: *Sacramentum* autem fuerit inftitutum pro peccatis poft Baptifmum commiffis. Cum itaque pœnitentia ut virtus conftituat facramenti materiam, de ea agemus Cap. I. Altero de facramenti pœnitentiæ exfiftentia & effentia. III. De Contritione. IV. De Confeffione. V. De fatisfactione & Indulgentiis. VI. De abfolutione. VII. De miniftro ejusque obligationibus.

CAPUT

CAPUT I.

DE VIRTUTE POENITENTIÆ.

Cum, ut probe advertit catechiſmus Concil. 2
Trid. P. II. Cap. 5. hujus virtutis pœnitentiæ actiones quaſi materiam præbeant, & ſacramenti partes conſtituant, ac niſi prius, quæ ſit pœnitentiæ virtus, intelligatur, ſacramenti etiam vim ignorare neceſſe ſit; hinc multum intereſt, virtutis pœnitentiæ naturam dignoſcere: idque ſerviet cum ad Proteſtantes confutandos, qui pœnitentiam absque omni dolore confingunt: tum ad emendandos non nullos *laxiores* probabiliſtas, qui â ſacramento pœ*nitentiæ* & actum dilectionis Dei, & ſatisfactionis propoſitum removent; tanquam Chriſtus, elevando virtutem pœnitentiæ ad rationem ſacramenti, in præcepto dilectionis Dei diſpenſaverit, atque ab onere ſatisfactionis per *ſacramentalem* abſolutionem pœnitentes abſolverit. Definitur autem pœnitentia communiter, quod ſit virtus moralis infuſa, inclinans peccatorem ad deteſtationem & dolorem proprii peccati, quatenus eſt offenſa Dei, cum efficaci emendationis, ac ſatisfactionis propoſito, quæ omnia in decurſu explicabuntur. Inquiritur itaque. I. Quosnam involvat actus pœnitentiæ virtus? II. Quanta ſit ejus neceſſitas cum medii, tum præcepti? III. Dicentur quædam de effectu, nempe remiſſione peccatorum, & meritorum reviviſcentia.

§. I.

De actibus, quos virtus pœnitentiæ involvit.

3 Supervacaneum arbitror, multis litigare, an pœnitentia ſit virtus, eáque ſpecialis, diſtincta vel a Charitate, vel a Juſtitia; Cum enim Virtus ſit habitus electivus ſecundum rectam rationem: recta autem ratio dictet, dolendum de malo commiſſo, emendandam vitam, ac læſo pro poſſibili ſatisfaciendum eſſe, quod præſtat pœnitentia: eam Virtutem eſſe conſtat, & quidem ſpecialem; cum regatur motivo formali proprio, quod nulli alteri virtuti commune eſt. Honeſtas enim illa, quæ relucet in dolore de peccato, ut eſt offenſa Dei, præſtandaque poſſibili compenſatione pro injuria Deo illata, nec Charitati, cujus motivum eſt Bonitas Dei, nec Juſtitiæ, quæ ſupponit æqualitatem, qualis inter Deum, & hominem non datur, nec ulli alteri Virtuti competit. Hinc etiam colligitur, eam eſſe Virtutem moralem, non autem Theologicam; quia pro objecto immediato non habet Deum, ſed honeſtatem mox dictam: & eſſe ſupernaturalem; eoquod ſine lumine fidei, ſpe remiſſionis, & actualis gratiæ motu exerceri nequeat, ut clare definivit Concil. Trid. ſeſſ. VI. cap. 3. His itaque præſuppoſitis inquirendum. I. An natura pœnitentiæ involvat aliquem animi dolorem, & afflictionem, eamque liberam, contra Lutherum, qui pœnitentiam veram conſtituit in ſola vitæ

vitæ emendatione, ſeu immutatione, & contritionem rejicit tanquam tremorem coactum, & animo incuſſum ex conſideratione Judiciorum Dei. II. An ex natura rei involvatur quoque actus dilectionis Dei, idque in omni ſtatu. III. An ad veram pœnitentiam de jure naturæ requiratur ſerium propoſitum præſtandi ſatisfactionem poſſibilem pro culpa juxta arbitrium offenſi.

RESOLUTIO I. Ad veram pœnitentiam 4
requiritur dolor & deteſtatio peccati proprii commiſſi. Contra Proteſtantes.

Prob. I. S. Scriptura veram pœnitentiam cum ejusmodi voluntaria animi afflictione deſcribit Deuteron. IV. „ Cum rurſus quæſieris „ Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris eum, & tota *tribulatione* animæ tuæ. „ Pſalm. L. „ Sacrificium Deo ſpiritus *contribulatus*: Cor *contritum* & humiliatum &c. „ cum hæ non ſint leges ceremoniales, ſed morales, e jure naturæ profectæ ſint, oportet, & in omni ſtatu obligent. Inſuper Ninivitæ inſtinctu naturæ edocti exterioribus quoque pœnitentiæ ſignis internum animi dolorem & afflictionem exprimebant induti ſaccis, & jejuniis macerati. Ita quoque eam depingit PAULUS: „ Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in „ ſalutem ſtabilem operatur. „ II. Cor. VII. Eandem pœnitentiæ idæam nobis ingerunt SS. Patres. AMBROSIUS Conc. I. in Pſal. 27. „ Plena eſt definitio pœnitentiæ, commemo-

„ ratio deliſtorum, ut unusquisque peccata ſua „ velut quodam quotidiani ſermonis flagello „ caſtiget, & commiſſa ſibi flagitia condemnet. „ Et S. Augustinus, ſive author de vera & falſa pœnitentia cap. 8. „ Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, voluntarie „ punientis in ſe, quod dolet ſe commiſiſſe. „

5 *Prob. II.* Ratione. Ipſa natura dictat, ut recogitatio boni amiſſi, ac miſeria ſumma, quam quis eapropter incurrit, quemdam in animo dolorem ac afflictionem excitet, quo defleat jacturam, ac malum vel imminens, vel jam præſens; peccando autem amiſimus omne bonum, Deum, & bona cum eo connexa, rei autem effecti ſumus ſummæ miſeriæ, æternæque vindictæ: igitur qui hæc ſerio recogitat, dolore afficiatur neceſſe eſt. Quis enim de jactura parentis, aut alterius rei æſtimatæ non aliquo dolore, jacturæ proportionato, afficitur, eoque libero? Cumque & ſacræ litteræ ad habendam pœnitentiam peccatorem ſæpe exhortentur, nihil autem nobis Deus ſuadere poſſit, niſi quod in noſtra ſitum eſt poteſtate ſaltem cum viribus gratiæ; hinc dolorem illum, quem pœnitentia neceſſario involvit, voluntarium eſſe, ſuapte natura conſequitur.

6 Objic. Contra hanc reſolut. I. eſt vetus adagium: optima pœnitentia nova vita: ergo ſola emendatio, ſeu mutatio conſilii absque omni dolore requiritur.

II. Chriſtus omnes dolores â nobis ſubeundos jam ſupportavit juxta illud Iſai. LIII. 4.

Dolo-

Dolores noſtros ipſe portavit. Ergo nulla jam eſt doloris neceſſitas.

III. Non requiritur ejusmodi dolor ante Baptiſmum, etiamſi requiratur pœnitentia. Ergo. Antec. prob. gentilis ſi habeat propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, & caret affectu ad peccatum, valide, & licite baptizatur, atque juſtificatur. Ergo.

Resp. *ad I.* Diſt. optima pœnitentia nova vita, conſequenter & arguitive. *conc.* conſtitutive. *neg.* ſi quis novam vitam inſtituit, inde concludimus & arguimus, eum ſerio deteſtatum fuiſſe ſua peccata; cum fructus jam dignos pœnitentiæ ferat: ex fructu autem cognoſcitur arbor.

Ad II. Loquitur Iſaias de dolore, ſeu pœna damni & ſenſus, pro quibus Chriſtus ſua paſſione ſatisfecit: non autem de omni dolore etiam rationali, imo ne corporali quidem; cur enim Lutherani exempti non ſunt ab ullis infirmitatibus corporis, omnique dolore, ex peccato originali reſiduo? ſi autem & de his loqueretur: ſenſus foret, Chriſtum dolores noſtros portaſſe, ut merito ſuæ paſſionis perficiendos, ad meritum evehendos, aut minuendos: non autem penitus removendos. Vult enim Deus electos ſuos conformes fieri imagini filii ſui, fierique cohæredes: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Rom. VIII.

Ad III. Neg. antec. quæ enim pœnitentia ante baptiſmum agi debeat, accurate deſcribit Concil. Trid. ſeſſ. VI. cap. 6. Ad probat. dico,

dico, Gentilem, si poenitentia & dolore careat, non esse positive dispositum, & habere obicem negativum, nempe defectum alicujus necessariae conditionis.

7 Resolutio II. Ad veram poenitentiam Jure Naturae requiritur dolor de peccato, quia est offensa Dei super omnia dilecti, id est, requiritur actus charitatis.

Prob. I. Non quemlibet dolorem v. g. ob turpitudinem peccati, infamiam, vel aliud damnum, ad veram poenitentiam sufficere S. Paulus insinuat ad Corinth. Ep. II. cap. 7. scribens in haec verba: „ Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poe„ nitentiam, contristati enim estis secundum „ Deum. Quae enim secundum Deum tristi„ tia est, poenitentiam in salutem stabilem ope„ ratur. Saeculi autem tristitia mortem „ operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum „ Deum contristari vos, quantam in vobis o„ peratur solicitudinem: sed defensionem, sed „ indignationem, sed timorem, sed desiderium, „ sed aemulationem, sed vindictam. „ docet hoc ipsum S. Thomas III. P. q. 86. a. 3. & Chrysostomus homil. 4. & 15. in II. Corinth. „ Cum peccaveris, ingemisce, non quod poe„ nas daturus sis; nihil enim hoc est, sed quod „ Dominum tuum offenderis, tam benignum, „ tam te amantem, tam denique saluti tuae „ appensum, ut filium quoque suum tui cau„ sa tradiderit. Ingemisce, nec unquam hoc „ facere intermitte, hoc enim est confessio, „ ἐξομολόγησις. „

Prob.

Prob. II. Ratione. In omni peccato duo 8
reperiuntur mala: aversio â Deo, & conversio ad creaturam; ut enim Deus conqueritur per Jeremiam II. 13. „Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.„ Ergo ad pœnitentiam, quæ utrique malo destruendo opponitur, non sufficit tantum detestatio mali, ut est in se, sed quia illud est aversio â Deo, seu contra Deum.

Prob. III. Inter homines quoque, is, qui 9
offensus fuit, non acceptat offendentis dolorem, nec cum eo in amicitiam redit, si dolet *præcise* ob jacturam propriam, non autem ob amici offensam.

Prob. IV. Pœnitentia est virtus specia- 10
lis: ergo debet habere motivum formale proprium, quod aliud non est, nisi ratio offensæ, ejusque compensatio; dolere enim de peccato, quia est contrarium virtuti oppositæ, est actus illius virtutis; vel dolere, quia est peccanti malum, est actus propriæ dilectionis. Ergo solum sub ratione offensæ est actus proprius pœnitentiæ.

Prob. V. Specialiter, requiri actum cha- 11
ritatis, & quidem jure naturali. Vera pœnitentia est conversio ad Deum, ut ultimum nostrum finem: juxta illud Ezech. XVIII. 30. *Convertimini ad me, & agite pœnitentiam,* & patet ex eo, quod sit opposita aversioni, quæ reperitur in omni peccato: atqui conversio ad

Deum ut ultimum finem eſt actus charitati proprius; Deus enim & ultimus finis eſt objectum Charitatis: quemadmodum ut verax, eſt objectum fidei, ut potens & fidelis auxiliator, eſt objectum ſpei, ut ſummum bonum, quod eſt noſter finis ultimus, eſt objectum charitatis. Ergo ad veram pœnitentiam requiritur actus charitatis.

12 *Prob. VI.* In ſtatu legis naturæ & ſcriptæ ad veram pœnitentiam juſtificativam requirebatur actus dilectionis Dei ſuper omnia: neque erat hoc præceptum ceremoniale, aut judiciale, ſed morale: ergo jure naturali ad pœnitentiam requiritur actus Charitatis Dei ſuper omnia. Conſeq. eſt evidens; cum præcepta moralia ſint ipſa lex naturæ, & ideo præcepta, quia bona, non ideo bona, quia præcepta. Antec. quoque certum eſt; cum enim in illis ſtatibus nullum extiterit pœnitentiæ ſacramentum, extra ſacramentum autem adultus peccator ſine charitate perfecta juſtificari nequeat: ideo ab omnibus indubitanter admittitur, pœnitentiam juſtificativam extra ſacramentum ſine charitate perfecta non poſſe conſiſtere. Unde legitime infertur, etiam in nova lege ad virtutem pœnitentiæ actum dilectionis Dei ſuper omnia neceſſarium eſſe, & quidem etiam intra ſacramentum: non tamen talem, qui ſemper actu juſtificet; cum enim Chriſtus virtutem pœnitentiæ non aboleverit, ſed eam elevando ad rationem ſacramenti perfecerit: conſequens eſt, ut eosdem

dem nunc actus necessario requirat, quos ex natura sua in lege veteri involvebat.

Nec dicant Adversarii, Deum poenitentiam 13
ad rationem sacramenti elevatam nunc reddidisse faciliorem: cum autem actus charitatis perfectæ sit moraliter impossibilis, aut saltem difficillimus, non reddidisset faciliorem, si eundem adhuc necessarium voluisset. Sed

Contra est 1. In antiqua lege, quæ erat timoris, non respiciebat Deus poenitentiam, actu charitatis destitutam: an ergo in lege gratiæ, quæ est proprie lex amoris, præceptum naturale charitatis abrogare voluit? id quidem nemo sibi persuadebit?

2. Concedo actum charitatis perfectæ difficilem, imo sine gratia impossibilem esse: quis autem unquam dixit, peccatori poenitentiam facilem esse; cum Deus requirat conversionem ex toto corde, in jejunio, in fletu, & planctu, ut propterea tantis poenitentiæ laboribus in Ecclesia veteri peccatores conversi fuerint exerciti. Etiam in nova Lege peccatrici poenitenti concessa fuit remissio, *quia dilexit multum.* Luc. VII.

3. Cum Deus in nova lege divitias bonitatis suæ copiosius multo ostenderit, & ubi abundavit delictum, ibi superabundare fecit & gratiam; peccatori, per gratiam prævenientem facienti quod est in se, non denegabit gratiam ulteriorem, Deum ex toto corde amandi, & ita ad justificationem se disponendi. Cum gratia autem omnia potest.

4. Ab-

4. Abſtrahendo nunc â juſtificatione intra ſacramentum, de qua dicam ſuo loco, certum eſt, etiam in nova lege adultum neminem extra ſacramentum juſtificari ſine vera pœnitentia, & actu perfectæ charitatis. Ergo in omni ſtatu, conſequenter ex jure naturæ, ad veram pœnitentiam actus charitatis requiritur.

5. In hoc ſtatu naturæ elevatæ in peccatore manet ordinarie fides & ſpes conſequendæ æternæ beatitudinis: Ergo cum fides doceat, ſolum Deum eſſe noſtram beatitudinem, ſpes autem illam cum gratia aſſequibilem ſuadeat: ipſum jus naturæ docet, peccatorem ad eam conſequendam ſe debere diſponere, utpote ad eandem â Deo ordinatum. Non poteſt autem illam conſequi ſine actu charitatis; nam beatitudinis adeptio conſiſtit in conjunctione intima cum Deo. Non poteſt autem niſi per charitatem cum Deo ut ultimo fine conjungi: conſequenter nec beatitudinem aſſequi poteſt ſine charitate. Ergo pœnitentia, quæ ad conſequendum beatitudinis jus peccatorem proxime diſponit, neceſſario, & ex natura ſua actum charitatis involvit.

14 *Prob. VII.* Vera pœnitentia, ſaltem extra ſacramentum, de qua nunc loquimur, debet eſſe juſtificativa: atqui juſtificatio ſine actu charitatis perfectæ haberi nequit, ergo vera pœnitentia non poteſt haberi ſine actu perfectæ charitatis. maj. eſt certa. min. prob. in juſtificatione infunditur habitus charitatis, & reſti-

tuitur

tuitur amicitia Deum inter & hominem habitualis: atqui adulto non infunditur habitus charitatis ſine actu prævio charitatis, nec poteſt haberi amicitia habitualis ſine actu prævio amicitiæ. Ergo. min. prob. non infunditur adulto habitus fidei & ſpei ſine actu prævio fidei & ſpei, & ita loquendo de aliis virtutibus infuſis: ergo nec infunditur habitus charitatis & amicitiæ. Non enim Deus nobis adultis ſua dona infundit ſine nobis, ſed tunc demum, cum ex parte noſtra proxime proportionata adfuerit diſpoſitio. Jam autem ad habitualem charitatem non eſt alia proportionata diſpoſitio, niſi actus charitatis.

Objic. contra hanc II. Reſolut. ſi ad omnem 15
pœnitentiam requiritur actus charitatis, tunc charitas potius quam pœnitentia erit ſecunda poſt naufragium tabula; cum charitati potius quam pœnitentiæ adſcribi debeat converſio ad Deum, & juſtificatio: atqui hoc eſt inſolitum. Ergo.

II. Si requiritur actus perfectæ charitatis, tunc ſuperfluum eſt in nova lege ſacramentum pœnitentiæ; ipſa enim charitas jam juſtificat, uti contingebat in veteri lege, absque omni ſacramento.

III. Non poteſt duci paritas â lege veteri ad novam; ibi enim ad pœnitentiam requirebatur charitas perfecta per ſe juſtificativa, quod nos in nova non requirimus, contenti amore initiali.

℟. ad

℟. ad I. neg. ſeq. Cum enim non omnis actus charitas juſtificet, pœnitentia quoque plures jnvolvat actus, qui ſimul ſumpti hominem â naufragio liberant; merito â S.S.P.P. ſecunda tabula appellatur.

Ad II. neg. ſequel. & ſuppoſitum, omnem actum charitatis, etiam debilem & remiſſum, ſemper juſtificare. Audiatur catechiſmus Roman. Conc. Trid. p. II. cap. 5. de pœnit. §. 32. „ Primum dicendum eſt, confeſſionis inſtitu- „ tionem nobis ſummopere utilem, atque a- „ deo neceſſariam fuiſſe. Ut enim hoc con- „ cedamus, contritione peccata deleri: quis „ gnorat, illam adeo vehementem, acrem, & „ incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbi- „ tas cum ſcelerum magnitudine æquari, „ conferrique poſſit. At quoniam pauci ad- „ modum ad hunc gradum pervenirent, fiebat „ etiam, ut â pauciſſimis hac via peccatorum „ venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe fuit, „ ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione „ communi hominum ſaluti conſuleret. „

Ad III. diſt. non poteſt duci paritas omnimoda, quæ foret identitas, conc. aliqua & juſta quidem, neg. Paritas conſiſtit in hoc; quod, ſicut in lege veteri ad veram pœnitentiam neceſſarius fuerit Charitatis actus, ita quoque in nova, cum hoc diſcrimine; quod olim neceſſaria fuerit Charitas in- & extenſive perfecta, ſeu juſtificativa, cum aliud remedium ad manum non fuerit, nunc autem intra ſacramentum ſufficiat initialis; non enim Chriſtus

pœ-

pœnitentiæ naturam per ſacramentum invertere, ſed faciliorem reddere, & charitati etiam remiſſæ cum ſacramento veniam concedere voluit, quam antiquis non niſi ſub conditione perfectiſſimæ charitatis fuit elargitus, ad quam pauci eluctabantur. Difficillimum enim eſt peccatori, in ejusmodi ſchola non exercitato, actus charitatis in- & extenſive perfectos elicere.

Resolutio III. Vera pœnitentia involvit efficax emendandi propoſitum. 16

Prob. I. S. Scriptura ſemper utrumque conjungit, & odium vitæ veteris, & novæ propoſitum. Sic Ezechiel. XVIII. 21. „ Si im„ *pius* egerit pœnitentiam ab omnibus pec„ catis ſuis, & cuſtodierit omnia præcepta „ mea, omnium iniquitatum ejus non recor„ dabor. „ Igitur præter dolorem de præteritis culpis requiritur propoſitum cuſtodiendi omnia præcepta, ſeu vivendi vitam divinis legibus conformem. Ita quoque Paulus Eph. IV. 22. „ Deponite vos veterem hominem, qui „ corrumpitur ſecundum deſideria erroris, re„ novamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & „ induite novum hominem. „ Ergo non ſufficit deteſtari veterem vitam, ſed inchoare novam efficaci propoſito. Hinc pœnitens David petit à Deo: cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Prob. II. Ratione. Duo involvit pœnitentia: & averſionem à malo, & converſio- 17

nem

nem ad bonum; *Convertimini ad me*, ait Deus per Ezechielem, *& agite pœnitentiam*. Cum enim quis dolet de amico offenso, etiam de compensanda injuria cogitat, & multo magis, ne eum offendat, sed voluntati ejus se in omnibus conformem reddat, serio sibi propositum habet. Id quoque, dum liberos suos castigant parentes, ab iis exigunt, non tantum ut errasse se agnoscant, sed melioris vitæ propositum vel pœnis ab eis extorqueant. Idipsum vero Deus â nobis voluntaria vindicta exigit. Imo non videtur possibile, ut aliquem serio delicti pœniteat, nec tamen emendandi errorem animum habeat.

18 Resolutio IV. Ad veram pænitentiam in ordine ad impetrandam remissionem culpæ requiritur in Pœnitente propositum præstandi Deo compensationem possibilem pro injuria eidem irrogata, juxta arbitrium ipsius Dei.

Cum resolutio hæc sit magni momenti, nec passim obvia apud auctores, a probabilistis autem neglecta: quædam de statu quæstionis prævie observanda sunt. Satisfactio est duplex, una *compensatoria* damni, in bonis fortunæ aut honoris illati, quæ est actus justitiæ commutativæ, & requirit æqualitatem, ubi possibilis est, ut reddat tantundem in æstimatione morali: vel ubi æqualitas inter personas deficit, reddat, quantum potest. Altera est satisfactio *vindicatoria*, quæ etiam satispassio dici potest, quæ est perpessio vindictæ ab eo inflictæ, cui publica vindicandi crimina potestas

teſtas competit, eſtque actus potius juſtitiæ vindicativæ ſeu diſtributivæ. Utriusque diſcrimen hoc exemplo dilucidat Cl.D.AMORT. Plebejus viro nobili publice irrogat calumniam, quod ſit mentitus, eique alapam infligit. Qua quidem calumnia ille non tantum exiſtimationem publicam amiſit, ſed pingue etiam in aula principis officium. Quando calumniator pro culpa condonationem ab offenſo obtinere cupit, non ſolum injuriam per publicam deprecationem retractare, ſed damnum quoque in bonis fortunæ ob amiſſum officium toleratum ex æquo compenſare debebit, idque ad regulas juſtitiæ commutativæ. Præſtita hac ſatisfactione compenſatoria pro culpa, reſtat adhuc ſatisfactio vindicativa â publica poteſtate, ſeu, a Magiſtratu infligenda, ac crimini commenſurata. Quodſi vir ille nobilis ipſemet Magiſtratum gerat (non obſtante prædicta ſatisfactione compenſatoria quæ ipſi ut reſpective privato fuit â privato præſtanda) adhuc ut publicus legum vindex tranſgreſſori pœnam infliget pro reatu pœnæ, quam ſi ille effugere velit, ſponte ſe offerre debet ad ultronee ſatisfaciendum. Idem prorſus contingit circa offenſam Dei, ita ut requiratur ſatisfactio, non quidem condigna & æquivalens, pro condonanda injuria, Deo per peccatum illata, ſed ſaltem poſſibilis & ad arbitrium Dei, quæ conſiſtit non tantum in dolore & ceſſatione â peccato, ſed in actibus converſionis ad Deum, humiliationis, charitatis, glorificationis, deſiderii promoven-

di divini honoris &c. & hoc quidem per modum compensationis pro impetranda remissione culpae, Deo ut Patri illatae: qua quidem per contritionem perfectam aut sacramentalem absolutionem obtenta, adhuc superest satisfactio vindicativa pro reatu poenae, non quidem aeternae, sed temporalis, â Deo ut legislatore legúmque suarum vindice dictata, ultronee in se suscipienda, & intra sacramentum â confessario imponenda, alias in purgatorio luenda, vel ab Episcopis per indulgentias in leviorem commutanda. Econtra probabilistae, ut apud eundem D. AMORT videre est, passim docent, satisfactionem pro reatu culpae remittendo requiri nullam, pro reatu poenae esse tantum praecepti, non autem de necessitate poenitentiae, liberumque esse poenitenti, eandem acceptare, aut in purgatorium differre: tempore indulgentiarum nullam aut levissimam imponi posse, & quae sunt alia, naturam poenitentiae prorsus evertentia. His praemissis resolutio

19 *Prob. I.* ex Sanctis Patribus. HERMAS, dictus *Pastor*, author I. saeculi. lib. III. similitud. cap. 7. „Nunquid ergo protinus putas abo„leri delicta eorum, qui agunt poenitentiam? „Non proinde continuo, sed oportet eum, „qui agit poenitentiam, affligere animam „suam, & humilem animo se praestare in omni „negotio, & vexationes multas, variasque „perferre; cumque perpessus fuerit omnia, „quae illi instituta fuerint, tunc forsitan, qui „eum creavit, commovebitur erga eum cle„men-

„ mentia sua, & aliquod remedium dabit
„ &c. „ Cyprianus Lib. de lapsis. „ Pu-
„ tasne Dominum cito posse placari, putasne
„ facile eum misereri tui? orare oportet im-
„ pensius, justis operibus incumbere, ut cri-
„ men & culpa diluatur. Si precem toto
„ corde quis faciat, si ad veniam delicti sui
„ Dominum justis & continuis operibus infle-
„ ctat, misereri talium Deus potest, roganti
„ potest clementer ignoscere, potest in acce-
„ ptum referre, quidquid pro talibus petierint
„ Martyres, & fecerint Sacerdotes. „ Idem
contra eos agens, qui facile pœnitentes absol-
vunt ante præstitam, saltem in proposito, com-
pensationem: „ Ante expiata delicta, ante
„ exhomologesin factam criminis, ante purga-
„ tam conscientiam sacrificio & manu sacer-
„ dotis, ante offensam placatam indignantis
„ Domini & minantis, pacem putant esse,
„ quam quidem verbis fallacibus venditant. „
Eodem modo loquitur toto illo libro. Deni-
„ que S. Eligius Homil. IV. „ Si condi-
„ gnam Deo pœnitentiam obtulistis, vere Deo
„ reconciliamini per Christum, & per nos;
„ qui enim peccando factus est ei inimicus,
„ nisi satisfaciendo non potest reconciliari, ut
„ fiat amicus. „ Isti & innumeri alii textus
attente expensi clare insinuant, ad ipsam rea-
tus culpæ condonationem requiri saltem effi-
cax propositum, præstandi Deo condignam
compensationem pro offensa.

Prob. II. ratione S. Thomæ. de ratione ju- 20
stitiæ commutativæ est, ut pro condonatione

offensæ præstetur compensatio, inter æquales quidem perfecta & condigna, inter impares autem saltem possibilis: atqui poenitentia est pars justitiæ commutativæ: ergo de ratione poenitentiæ est, pro impetranda remissione culpæ præstare compensationem possibilem; cum perfecta æqualitas Deum inter & hominem non detur. Sic ipse III. P. Q. L. XXXV. A. 3. „Poenitentia habet, quod sit virtus spe„cialis ex eo, quod poenitens dolet de pec„cato, in quantum est offensa Dei, cum e„mendationis proposito. Emendatio autem „offensæ contra aliquem commissæ non fit „per solam cessationem offensæ, sed exigitur „ulterius quædam recompensatio, quæ ha„bet locum in offensis in alterum commissis, „sicut & retributio: nisi quod recompensa„tio est ex parte ejus, qui offendit, utpote „cum satisfacit; retributio autem est ex par„te ejus, in quem est offensa commissa. U„trumque ad materiam justitiæ pertinet, „quia utrumque est commutatio quædam. „Unde manifestum est, quod poenitentia, se„cundum quod est virtus, est pars justitiæ.„ Ibid. ad 2. „Medium justa est æqualitas, quæ „constituitur inter illos, inter quos est justi„tia. In quibusdam autem non potest con„stitui perfecta æqualitas propter alterius „excellentiam, sicut inter patrem & filium, in„ter Deum & hominem. Unde in talibus il„le, qui est deficiens, debet facere, quidquid „potest. Nec tamen hoc erit sufficiens sim„pliciter, sed solum secundum acceptationem supe-

„ ſuperioris. „ Et ad 3. „ Sicut eſt commu-
„ tatio quædam in beneficiis, cum aliquis pro
„ beneficio recepto gratiam rependit; ita e-
„ tiam eſt commutatio in offenſis, cum ali-
„ quis pro offenſa in alterum commiſſa vel in-
„ vitus punitur, quod pertinet ad vindicati-
„ vam juſtitiam; vel voluntarie recompen-
„ ſat emendam (id eſt, offenſam) quod per-
„ tinet ad pœnitentiam, quæ reſpicit perſonam
„ peccatoris, ſicut juſtitia vindicativa perſo-
„ nam Judicis. Unde manifeſtum eſt, quod
„ utraque ſub juſtitia commutativa contine-
„ tur. „ Hæc D. Thomas.

Prob. III. Inter homines pro illata inju- 21
ria in honore vel bonis fortunæ requiritur ejusmodi compenſatio ex legibus juſtitiæ commutativæ: ergo & talis requiritur in peccatore erga Deum, cui peccando quamdam intulit injuriam contra ejus honorem, & dignitatem ultimi finis. Nec dicant Adverſarii, diſparitatem eſſe; quia inter homines, cum detur æqualitas, poteſt haberi condigna ſatisfactio: non autem inter Deum & hominem.

Contra eſt, quamvis homo non poſſit præſtare condignam, poteſt tamen, & debet cum gratia, præſtare congruam, ſeu poſſibilem; nam neque inter homines ſemper poteſt haberi condigna compenſatio, quin propterea aliquis excuſetur â poſſibili. Item, non poſſumus Deo condignas reddere grates pro beneficiis, aut cultum condignum: debemus ta-

men facere, quantum possumus; ergo etiam â pari.

22 Objic. Contra IV. Resolutionem I. in adulto ante Baptismum vera requiritur poenitentia, ut clare docet Conc. Trident. sess. VI. cap. 6. atqui in tali adulto non requiritur propositum praestandi satisfactionem compensatoriam: ergo ad veram poenitentiam non requiritur tale propositum. min. prob. Idem Concil. sess. XIV. cap. 8. de satisfactione ita docet: „ Sane & divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero, qui semel a peccati & daemonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono scienter templum Dei violare, & Spiritum S. contristari non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injuriosi & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae. „ Ergo compensatio requiritur tantum pro peccatis post Baptismum commissis: non igitur ex natura rei; alias etiam pro peccato quolibet esset necessaria.

Resp. neg. min. ad prob. dico, Concil. loqui de satisfactione vindicatoria, non autem compensatoria. Cum enim etiam adultus ante Baptismum veram poenitentiam agere debeat pro peccatis, quatenus sunt offensa Dei: ani-

animum quoque habere debet compenſandi injuriam Deo illatam per converſionem, actus charitatis, glorificationis, obſervantiæ legis evangelicæ. Colligitur hoc ex Eccleſiæ veteris praxi, quæ duris, longisque pœnitentiæ laboribus catechumenos ad baptiſmum præparabat, ac iisdem propemodum, quibus pœnitentes, exercebat operibus. Cur autem pro peccatis ante baptiſmum commiſſis non requiratur tanta ſatisfactio vindicatoria, rationem dat ipſum concilium; quia illi magis per ignorantiam peccarunt: dum ex adverſo baptizati ſcientes, volentesque delinquant, magisque Deo ſint injurii, quo magis ingrati. Nam ut *eſt* in parabola Evangelica. *Servus, qui neſcit voluntatem Domini ſui, vapulabit paucis, qui autem cognovit, & non fecit voluntatem, vapulabit multis.* L. XII. 47. 48. Dixi, quod non requiratur *tanta* ſatisfactio; non enim ab *omni* ſemper eximitur ſatisfactione pro reatu pœnæ temporalis; cum enim contingere queat, ut aliquis ad baptiſmum accedat cum affectu ad peccatum veniale, huic non omnis pœna remittitur, propria ſatisfactione expianda, non autem â ſacerdote imponenda; quia peccata ante baptiſmum commiſſa non ſubſunt clavibus eccleſiæ.

OBJIC. II. â ſæc. XIII. usque ad XVI. e- 23
rat ſenſus communis theologorum, confeſſario liberum eſſe, aut leviſſimas, aut nullas pœnitentias injungere, ut adductis eorum teſtimoniis teſtatur FRANCOLINUS lib. 3. de pœnit.

ergo non requiritur de jure naturæ compensatio poſſibilis.

II. Indulgentiæ olim concedebantur ſub hac formula. v. g. centum dies, annum, quadragenam, plenam remiſſionem de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Ergo caſu indulgentiæ plenariæ omnis ceſſabat obligatio ſatisfactionis. Cum autem per indulgentias jus naturæ nequeat immutari; ſequitur, de jure naturæ ejusmodi compenſationem non requiri ad pœnitentiam.

Resp. ad I. neg. antec. nec enim authores illi aſſerunt, nullam eſſe injungendam, ſed mitiorem, ſi pœnitens ex rationabili cauſa graviorem acceptare noluerit.

Resp. ad II. *diſt.* conſeq. ceſſabat obligatio ſatisfactionis vindicatoriæ, a confeſſario taxatæ, *trans.* ſatisfactionis compenſatoriæ, *neg.* Olim a ſæculo VIII. cuilibet fere peccato publico erat taxata pœna unius vel plurium annorum in abſtinentia, jejunio, aliisque caſtigationibus tranſigendorum, quas pœnitentiarii deinceps etiam pro peccatis occultis imponebant, ſicque facile aliquis centum, pluriumque annorum pœnitentiarum onus ſentiebat: has indulgentiis mitigarunt Pontifices, quin propterea omnimodam obligationem Deo pro injuria ſatisfaciendi, ſaltem animo conceptam, abolere voluerint. Cæterum præter opera, in bulla indulgentiarum præſcripta, adhuc injungenda eſt pœnitentia ſalutaris, id eſt, absterrens & præſervans in futurum; cum enim inju-

injuria Deo illata non compenſetur niſi humili agnitione, deprecatione & aſſecuratione morali de non iteranda injuria: facile hujusce rei obliviſcitur peccator, niſi per diuturnæ pœnitentiæ ſuſceptionem memoria refricetur. Cæterum Cl. D. AMORT tract. de indulgentiis probat, effectum indulgentiæ, ſaltem plenarium, neminem ſortiri, niſi habeat animum, Deo pro injuria pro poſſibili ſatisfaciendi. Ubi legi meretur.

§. II.

De Neceſſitate Pœnitentiæ.

Suppoſita diſtinctione neceſſitatis *medii* & 24
præcepti, item, *in re*, & *in voto*, hoc ſolum obſervandum, pœnitentiam duplicem dari; *Internam*, & *externam*. Illa conſiſtit in dolore de peccato, quatenus eſt offenſa Dei, cum propoſito emendationis, & ſatisfactionis: Hæc in ipſa afflictione corporis. Cum enim duplex ſit pœna, alia *interna*, affligens animam; *externa* altera, affligens ſenſus; hinc & duplex pœnitentia erit. De prima dicitur Actor. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum &c.* De poſteriore Matth. XI. 21. *Olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Et Apocal. II. 5. *Memor eſto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Quomodo, & quæ pœnitentia ſit neceſſaria peccatori, item an ſtatim poſt commiſſum, ſi memoriæ occurrat, peccatum pœnitentia ſaltem inte-

rior, cum voto externæ, obliget? hic inquiritur.

25 Resolutio I. Peccatori adulto pœnitentia interna, cum neceſſitate medii, tum præcepti in re eſt neceſſaria: externa, dum in re haberi nequit, ſaltem in voto requiritur.

Prob. I. pars, de neceſſitate medii, clariſſimo Scripturæ textu: Luc. XIII. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Atqui illud, ſine quo ſalus haberi nequit, eſt neceſſarium neceſſitate medii, ut conſtat de Baptiſmo, ergo. Id ipſum docet Concil. Trid. ſeſſ. XIV. cap. 1. & 4. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Omitto Scripturæ, Patrumque textus innumeros, & ſolam allego rationem naturalem. Ut quis peccatorum remiſſionem conſequatur, debet ſe ad Deum convertere ex toto corde; cum ſine libera cooperatione Deus adultum in gratiam non recipiat: atqui ad Deum ſe non poteſt efficaciter convertere, niſi ſe â peccatis avertat per eorum deteſtationem, & propoſitum ſatisfactionis, in quo pœnitentia conſiſtit: ergo non poteſt conſequi veniam ſine pœnitentia.

26 *Prob. II.* pars, pœnitentiam externam dum haberi poteſt, eſſe neceſſariam, ſecus ſaltem illius votum. Eodem enim modo pro peccatis, poſt Baptiſmum commiſſis, neceſſaria eſt pœnitentia, quomodo baptiſmus pro originali, & actualibus ante Baptiſmum commiſſis: atqui

qui hic eſt neceſſarius in re, dum haberi poteſt; ſecus ſaltem in voto. Ergo etiam &c. id quoque docet Concil. Trident. ſeſſ. VI. cap. 14.
„ Docendum eſt, ait, Chriſtiani hominis pœ-
„ nitentiam, (quam ſecundam poſt naufra-
„ gium tabulam S. S. P. P. apte nuncupa-
„ runt,) multo aliam eſſe â baptiſmali, eaque
„ contineri non modo ceſſationem â peccatis,
„ & eorum deteſtationem, aut cor contritum,
„ & humiliatum, verum etiam eorundem ſa-
„ cramentalem confeſſionem, ſaltem in voto,
„ & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem
„ abſolutionem, itemque ſatisfactionem per
„ jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia
„ ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro
„ pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſa-
„ cramenti voto una cum culpa remittitur,
„ ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ
„ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo, fit,
„ illis dimittitur . . . de qua pœnitentia ſcri-
„ ptum eſt: memento unde excideris, & age
„ pœnitentiam, & prima opera fac &
„ rurſus: pœnitentiam agite, & facite fru-
„ ctus dignos pœnitentiæ.„ Legi in hanc rem meretur Chrysostomus in cap. III. Matth. homil. 10. & D. Ambrosius ſerm. ad virginem lapſam c. 8. ubi dignos pœnitentiæ fructus exponunt, ad eum fere modum, quo D. Paulus Rom. VI. 19. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Ratio

Ratio gemina dari poteſt. Peccatum committitur & corpore & anima: ergo neceſſe eſt, ut & anima per dolorem, & caro per afflictionem pœnas det meritas. Item, ex Dei miſericordia pœnitenti æterna pœna in temporalem commutatur; pœna autem æterna & animam afficeret & corpus: ergo dignum eſt, ut temporali pœna & anima & corpus plectatur, ſeu utroque modo Deo ſatisfiat. Id, quod procedit in omni ſtatu, ut docet expreſſe S. Thom. III. P. Q. LXXXIV. a. 7. ad 1.

27 *Prob. III.* pars de neceſſitate præcepti. Illud enim innumeris in locis S. Scripturæ inculcat. ut Act. II. 38. pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum. Et ratio probat, præceptum hoc non tantum poſitivum, ſed etiam naturale eſſe. Nam 1. impœnitentia, ſeu propoſitum non pœnitendi, eſt ſpeciale peccatum; ergo eſt oppoſitum ſpeciali præcepto pœnitentiæ. 2. Pœnitentia eſt virtus ſpecialis: ergo de illa extat ſpeciale præceptum naturale; cum naturale Jus ad omnem virtutem obliget, eo ipſo, quod ad rectam rationem nos tendere adſtringat. 3. Natura dictat, ut media, ad finem ultimum conſequendum neceſſaria, adhibeamus: atqui tale eſt pœnitentia. Ergo. 4. Datur ſpeciale præceptum compenſandi injuriam proximo illatam, & redeundi cum eo in amicitiam: ergo etiam reſpectu Dei; idque potiori jure. Accedit D. Thomæ & Theologorum conſenſus communis, in re morali maximi momenti æſtimandus.

Objic.

Objic. Contra I. Reſolut. Non requiritur pœnitentia ante Baptiſmum, ſed ſola fides, juxta illud, Marc. XVI. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Ergo non eſt neceſſaria neceſſitate medii. 28

2do. Pœnitentia tunc obligaret, quando occurrunt memoriæ peccata; atqui poteſt contingere, ut non occurrant memoriæ, & tamen homo conſiderata Dei bonitate ſubito in actum charitatis erumpat, aut ob fidei Confeſſionem martyrium ſubeat: quo utroque caſu juſtificaretur, ergo non eſt neceſſaria neceſſitate medii; cum ſine ea poſſit haberi ſalus.

Respondeo ad I. *diſting.* non requiritur *pœnitentia* externa, cum ſatisfactione vindicativa, *trans.* pœnitentia interna, cum propoſito ſatisfactionis compenſatoriæ pro injuria. *neg.* nam ante Baptiſmum pœnitentiam agendam eſſe, clare docet Concil. Trid. *Seſſ.* VI. cap. 6. & conſtat ex illo Act. II. *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum.* Hinc etiam Joannes prædicavit Baptiſmum pœnitentiæ, ut ſic auditores diſponeret ad Baptiſmum aquæ.

Respondeo ad 2. *neg.* hominem actu Charitatis absque deteſtatione peccati, ſi tamen ſine hoc elici queat, juſtificari; cum enim ad juſtificationem requiratur odium vitæ veteris, & averſio a malo ac dolor de præterita offenſa: Charitas autem tantum reſpiciat præſens vel futurum, non autem præteritum; hinc ejusmodi actu non juſtificaretur

caretur pœnitens. Exiſtimo autem, fieri vix poſſe, ut quis actum Charitatis eliciat absque peccatorum deteſtatione ſub ratione offenſæ, in Deum ſumme dilectum commiſſæ. Hinc etiam *nego*, peccatorem per martyrium ſalvari, niſi habeat pœnitentiam, ſaltem in voto: ſicut ad martyrium ante Baptismum requiritur Baptismi votum: nam ut ait Paulus 1. Corint. XIII. 3. *ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Atqui Charitas ſine pœnitentia non remittit peccata, ut mox dictum eſt, & Martyrium ſine charitate nihil valet, ut docet D. Thomas 2. 2. Q. 124. A. 2. ad 2. Inſuper vix fieri poſſe arbitror, ut Chriſtiano, in agone conſtituto, peccatorum extremique judicii non occurrat memoria. Si autem occurrat: neceſſario pœnitentia interna cum voto externæ agenda eſt.

29 Resolutio II. Præceptum pœnitentiæ per ſe obligat peccatorem non tantum in Articulo & periculo mortis, nec tantum ſemel in anno, ſed toties, quoties peccata practice memoriæ occurrunt.

Dixi, *per ſe*; per accidens enim obligat, quoties tenetur aliquis ſe ad juſtificationem diſponere: uti in adminiſtratione aut ſuſceptione Sacramentorum.

Prob. I. pars. Ipſa enim natura dictat, ut illis in temporis circumſtantiis ſaluti ſuæ homo invigilet, a creaturis per deteſtationem peccatorum ſe avertat, & ad Deum ultimum finem

finem ſe ex toto corde convertat, nec æternæ damnationis periculo ſe exponat; ſecus & contra juſtitiam Deo debitam, & contra Charitatem ſui novum peccatum impœnitentiæ graviſſimum committet. Cum enim præceptum pœnitentiæ ſit ſpeciale, & poſitivum: non alio tempore magis obligare poteſt, quam in tali periculo.

II. Pars, quod ſaltem ſemel in anno ob- 30
liget, etiam ab adverſariis plerisque conceditur; cum enim non tantum ſemel, ſed ſæpius in anno aliquis teneatur præcepto virtutum theologicarum: actus autem charitatis exerceri vix poſſit ſine deteſtatione offenſæ, in *Deum* ſuper omnia dilectum commiſſæ: *hinc* eodem tempore etiam præceptum pœnitentiæ obligabit. Quod magis patebit ex mox dicendis.

Prob. III. Pars imo ex S. Thoma IV. 31
Sent. D. XVII. Q. III. A. I. Solut. IV. ubi id clare docet, & in ſumma confirmat 2. 2. q. 62. a. 8. „ Manifeſtum eſt, quod nec per „ modicum tempus licet in peccato morari, „ ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſe- „ rere &c. nempe quando memoriæ occurrit. S. Bonaventura in IV. D. XVI. q. 2. docet, novum peccatum committi, ſi quis poſt peccatum non illico confiteatur ſuppoſito, quod habeat copiam confeſſarii. Ergo a fortiori tenetur ad pœnitentiam internam, ſeu contritionem. S. Antoninus III. P. tit. 14. cap. 18. §. 2. id ipſum in terminis ſcribit,

bit, addita ratione: „ nec enim per momentum licet ſtare in peccato; imminet enim maximum periculum, cum nulla neceſſitas excuſet a contritione, ſi moriatur impius ante contritionem etiamſi non potuit conteri, quia ſubito moritur, nihilominus damnatur. „

32 *Prob. II.* e S. Scriptura, quæ ex eadem ratione, nempe ob momentaneum mortis periculum, pœnitentiam non procraſtinandam urget Eccli. V. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Apoc. III. 3. *Pœnitentiam age, ſi ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.* Hinc Chriſtus quoque: Matth. XXIV. 42. *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Unde ſic infero: juxta adverſarios citati textus evincunt, non licere citra novum peccatum ad longum tempus v. g. ad annum, differre pœnitentiam; ergo nec licet ad diem, aut horam. Conſequentia prob. Ideo non licet ad annum, quia incertum eſt, an Deus integrum annum peccatori ſit conceſſurus; in hac enim incertitudine fundantur textus citati: atqui æque incertum eſt, an ſit conceſſurus diem vel horam; nam & diei & horæ incertitudinem illi textus inſinuant. ergo. hinc ait D. Gregor. M. hom. 12. in Evang. „ qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper er-

„ go

„ go extremum diem debemus metuere,
„ quem nunquam poſſumus prævidere. Ec-
„ ce hunc ipſum diem ad inducias conver-
„ ſionis accipimus, & tamen mala, quæ fe-
„ cimus, flere recuſamus. „

Prob. III. Juxta regulam S. Augusti- 33
ni eo ipſo quis peccat, quod certa incertis poſtponat; atqui incerta eſt adverſariorum ſententia: incertum quoque eſt, an pœnitentiam differens ſit habiturus tempus pœnitendi, quod negligit, dum peccata memoriæ occurrunt. Ergo.

Prob. IV. Præceptum pœnitentiæ non 34
ſolum eſt affirmativum, ſed aliquomodo negativum, ne ſimus, permaneamusque Dei inimici; cum ſtatus ille ſit intrinſece malus: atqui præcepta negativa obligant ſemper & pro ſemper. Ergo & pœnitentia, ſaltem tum, quando recordamur, nos Deo eſſe per peccatum grave inimicos.

Prob. V. Pœnitentia eſt ſpecies juſtitiæ 35
commutativæ, qua tenetur peccator illatam Deo injuriam compenſare, & honorem ablatum, quantum poteſt, efficaci propoſito reſtituere: atqui præceptum juſtitiæ eſt negativum, ſemper obligans; ut patet in fure, qui rem alienam, quam primum illius occurrit memoria, ſtatim reſtituere obligatur; quo enim præcepto prohibetur furtum, eodem prohibetur rei alienæ detentio invito Domino. Item: honorem proximo ablatum tenetur quis ſtatim reſarcire deprecando & com-

penſando: ergo & pro injuria Deo illata, ablatoque honore ultimi finis peccator ſtatim pœnitere debet.

Nec ſufficit reſpondere cum Melchiore CANO, diſparitatem eſſe, quod compenſatio, facienda proximo, non tantum in noſtram, ſed in ipſius potius proximi utilitatem præſtanda ſit, ne ille per rei ſuæ detentionem, aut famæ non reſtitutionem, gravius ſemper damnum patiatur: contra compenſatio injuriæ Deo irrogatæ non propter Dei utilitatem, ſed propter noſtram exigitur. Deus enim compenſatione noſtra non eget, modo peccator non habeat propoſitum omnino non pœnitendi, aut in peccato ſibi poſitive camplaceat.

36 CONTRA EST: ex hoc ſequeretur, quod ſi peccatum non eſſet homini malum, nunquam eſſet facienda pœnitentia; quia ſic tota vita in peccato perſeverando non læderetur noſtra utilitas. Ingens abſurdum!

2. Pœnitentia non ideo agenda eſt, quia peccatum eſt nobis malum, ſed quia eſt offenſa Dei: imo ſi nobis non eſſet malum, adhuc pœnitendum eſſet; eoquod Deo, cui omnis honor & reverentia debetur, injuria ſtatim compenſanda, & amandus ſit, etiamſi, per impoſſibile, non eſſet noſtrum bonum. Ergo fictitia eſt data diſparitas.

3. Quamvis Deo nulla accedat utilitas ex noſtra pœnitentia, exigit tamen ratio ſupremi ipſius dominii, & ultimi finis, ut peccator

cator hanc rationem Deo ablatam tunc reſtituat, quando illius recordatur. Vel enim peccati, ut eſt offenſa Dei, memoriam habet cum delectatione, vel indifferenter, ſeu negative? vel cum dolore? *Primo* caſu certo peccat novo delicto, & etiam *ſecundo;* quia Filius contemnit Patrem, creatura creatorem, quando injuriam ei a ſe illatam non curat, negligit, & ſaltem virtualiter contemnit. Si autem cum dolore: ergo conteri debet, & quidem ex motivo legitimo, quia eſt offenſa Dei; cum ſub hac ratione peccatum ipſi propoſitum ſupponatur.

4. Non liceret peccare, etiamſi peccatum nulla nobis inferret incommoda, quia eſt Deo contrarium: ergo nec licet in peccato perſeverare, ſed ſtatim ad ejus memoriam Deo per pœnitentiam injuria compenſanda eſt, etiamſi per procraſtinationem nulla nobis, nulla Deo decederet utilitas.

5. Etiamſi Deo per peccatum nullum effective accedat damnum, ſed ſolum affective auferatur ab eo ratio ultimi finis, nullo tamen caſu licitum eſt peccatum, quia eſt intrinſece malum: ergo etiamſi Deo per noſtram pœnitentiam nulla accedat utilitas effectiva, accedit tamen affectiva, nempe reſtitutio honoris, & glorificatio extrinſeca, nunquam tamen licebit eam differre; quia ſicut peccati commiſſio eſt intrinſece mala, ita etiam voluntaria in peccato perſeverantia.

Prob. VI. Quisque Jure naturæ tenetur, 37
quamprimum advertit, & poteſt, vitam cor-

poralem a morte ſervare, & medicina neceſſaria uti: imo tenetur etiam proximum ab ejusmodi periculo, ſi poteſt, liberare, ex regulis ordinatæ charitatis: ergo cum ex iisdem regulis teneatur homo magis diligere animam quam corpus, etiam quam primum poteſt, animam peccato mortuam per poenitentiam ad vitam ſpiritualem ac ſupernaturalem revocare obligatur.

Reſpondet quidem Melch. Canus dando diſparitatem; quia cum vitæ membrorumque non ſimus Domini, ſervare eam quoquo modo tenemur, ſecus injuriam ſpecialem facturi Deo vitæ & necis Domino. Atvero bonorum ſpiritualium, cujusmodi eſt gratia, vita animæ, dominium nobis Deus reliquit juxta illud Eccli. XV. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu Conſilii ſui, & poſuit ante illum vitam & mortem.*

38 Contra eſt. Non habet homo Dominium animæ reſpectu Dei; ut enim Paulus ait: 1. Corinth. VI. 20. *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno.* Non utique empti ſecundum corpus, ſed magis ſecundum animam; nec enim minus juris habet Deus in animam, quam in corpus: imo plus; dominium enim in corpus competit ei titulo creationis, & conſervationis: eodem & in animam, ac inſuper titulo redemptionis, aliarumque gratiarum, animæ copioſius, quam corpori collatarum. Ergo ſi injuriam Deo facit, qui ſe

cor-

corporaliter occidit, aut a morte, cum poteſt, ſe non liberat: injuriam quoque faciet Deo non ſolum peccando, ſed etiam, ſi ad vitam pœnitendo non ſtatim reſurgat; animam enim, tot titulis Deo debitam, voluntarie relinquit in ſervitute dæmonis, quod non poteſt non cedere in injuriam Dei, legitimi Domini ſpeciali titulo redemptionis, quo nos a dæmonis ſervitute liberaverat, & quidem ſanguine proprii filii. Textus Ecclesiastici tantum probat, homini fuiſſe a Deo conceſſam libertatem arbitrii, absque determinatione neceſſaria ad unum: qua tamen abutitur in creatoris injuriam, ſi vel corporalem, ut vi ejusdem libertatis poteſt, vel ſpiritualem animæ vitam ſibi violenter eripiat, aut, quando poteſt, non illico reſtituat.

Objic. contra II. Reſolut. hæc ſententia eſt contra communem ſenſum fidelium, 39 qui neque de pœnitentiæ ſtatim agendæ omiſſione ſe accuſant, nec a Pœnitentiariis de ea interrogantur. Ergo non eſt admittenda.

2. Præcepta affirmativa non obligant pro ſemper: atqui tale eſt pœnitentia. ergo.

3. Baptismus non ſtatim obligat, cum ejus habetur occaſio, & occurrit memoriæ. Ergo neque pœnitentia.

4. Nullibi exſtat expreſſum præceptum: ergo in re adeo gravi, difficili, tantique momenti, temere non eſt aſſerendum.

Respond. Retorquendo in adverſarios, quorum plerique defendunt, pœnitentiam ad

annum vel longum tempus differre, novum esse peccatum. Ad 1. dato, contrarium esse communem sensum fidelium modernorum, non debet ille præferri expressæ sententiæ insignium theologiæ doctorum, qui stant pro nobis ex n. 31. dixi, *modernorum*, qui forte contraria laxiorum probabilistarum opinione seducti laborant ignorantia, utinam! invincibili hujus præcepti. Antiqui Christiani & Patres non ita sentiebant, sed, ut constat ex libris poenitentialibus sæculi VII. & sequentium, præter alia interrogabant ex poenitente, quanto tempore peccaverit, seu in peccato absque poenitentia perseveraverit? exstat hujus rei saltem umbra hodiedum, dum poenitentes aut sponte se accusant, se a tanto tempore non fuisse confessos, aut desuper a confessariis interrogantur. Hinc adversæ quoque opinionis Patroni observant, monendos esse fideles, ut se accusent, quanto tempore in peccato absque poenitentia perseveraverint; si enim longum fuerit, novi peccati se reos agnoscant, aut certe circumstantiæ intra eandem speciem aggravantur. Quod attinet Confessarios, hujus præcepti parum sollicitos: Illi contrariam opinionem censent vel probabilem, vel etiam probabiliorem: aut si nostræ adhæserint, præsumunt, fideles huic præcepto satisfecisse; cum sciant, eos aliunde ad actus Charitatis & virtutum theologicarum sæpius esse obligatos, & eorum occasione etiam actum virtutis poenitentiæ, seu contritionem elicuisse.

Ad 2.

Ad 2. *Disting.* est affirmativum, ex parte tamen & implicite etiam negativum, *conc.* mere affirmativum, *neg.* ex N. 31. & 32.

Ad 3. *Disting.* Baptismus non statim obligat in re, *trans.* in voto, *neg.* disting. etiam conseq., ergo neque pœnitentia externa, *trans.* nam S. ANTONINUS prorsus negat: interna cum voto externæ, *neg.* imo Ecclesia antiqua male sentiebat de procrastinantibus Baptismum, & irregularitate mulctabat.

Ad 4. *Disting.* non exstat præceptum, verbis grammaticalibus expressum, *conc.* stylo theologico scriptum, *nego*, & retorqueo, præceptum restitutionis statim faciendæ etiam non est grammaticaliter expressum, & tamen exstat, utpote imbibitum in illo: non furtum facies. Ergo & nostrum est expressum, & quidem his Eccli. verbis: *non tardes converti ad Dominum.* Adest quoque præceptum generale naturæ, ut periculum æternæ damnationis quoquo modo evitetur: est autem continuo periculum generale; cum nemo sciat diem, neque horam, quando mors, velut fur sit superventura, eoquod repentini casus quotidie fere ante oculos nostros versentur, aut certa relatione innotescant.

§. III.

De effectu pœnitentiæ.

40 Effectum veræ pœnitentiæ esse remissionem peccatorum, & peccatoris justificationem, inter Catholicos certum est, litigant tamen hic, uti & in Tract. de justificatione, Scholastici, an ea in hac providentia, vel per absolutam Dei potentiam haberi possit sine omni pœnitentia, per solam condonationem extrinsecam. Quas quidem quæstiones inutiles existimo; cum scriptum sit Luc. 13. nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis: alia autem providentia & potentia Dei metaphysica nihil nos attinet. Utilius forte quæritur, an ad remissionem peccatorum venialium requiratur pœnitentia, possintve remitti absque mortalis peccati remissione, si in eodem subjecto conjungantur: an peccata semel remissa per subsequens peccatum reviviscant ad culpam & pœnam: item quid de meritorum reviviscentia censendum?

41 Resolutio I. Ad peccatorum venialium remissionem requiritur pœnitentia.

Prob. in S. Scriptura, & apud Patres dum sermo est de necessitate pœnitentiæ, nullum fit discrimen inter gravia, & levia. ergo ad utraque requiritur. Imo S. Augustinus epist. 48. expresse asserit: „ Nec quemquam „ putes ab errore ad veritatem, vel a quo- „ cunque sive magno, sive parvo peccato

ad

„ ad correctionem ſine pœnitentia poſſe „ tranſire. „ Ratio eſt. Peccatum veniale conſiſtit in deordinato amore creaturæ, & diminutione fervoris Charitatis. Ergo remitti nequit ſine diſplicentia illius inordinationis, converſione ad Deum & intenſione charitatis. Differt autem hæc pœnitentia, pro venialibus agenda, ab illa, quæ pro remiſſione mortalium requiritur in tribus. 1. Quod non requiratur deteſtatio expreſſa de ſingulis venialibus. 2. Quod non debeat includere propoſitum confeſſionis; cum multis aliis modis poſſint deleri, ut uſu Sacramentorum. 3. Quod non requiratur deteſtatio formalis & explicita, ſed ſufficiat virtualis: ut cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret. Ut in terminis loquitur S. THOMAS III. P. Q. LXXXVII. Art. I.

OBJIC. contra I. Reſolut. S. Auguſt. Lib. 42
50. homil. 28. docet, peccata venialia remitti per orationem dominicam: atqui dominica oratio poteſt recitari absque contritione. Ergo.

II. Docent ſcholaſtici paſſim, venialia remitti per Sacramentalia. Ergo.

III. Contritio elicita pro mortalibus remittit etiam venialia; quia quod ſufficit ad delendum gravius, multo magis ſufficit ad delendum, quod eſt levius.

Respond. ad I. Dinſting. per orationem dominicam, ſi recitatur cum deteſtatione peccatorum. *conc.* ſecus *neg.*

Ad II. Diſting. ex opere operato. *neg.* ex opere operantis, ſi nimirum accedat pius animi motus, & deteſtatio ſaltem virtualis peccatorum, *conc.* Habent Sacramentalia quamdam virtutem ex precibus Eccleſiæ, ut iis utenti gratiam actualem impetrent, qua ille ſe ad peccatorum remiſſionem diſponat.

Ad III. *neg. antec.* Ut enim remittatur peccatum veniale, requiritur actus eidem formaliter oppoſitus: at vero contritio elicita pro mortalibus non opponitur formaliter peccatis venialibus, utpote quæ cum ipſa gratia ſanctificante conſiſtere poſſunt.

43 Resolutio II. Peccatum veniale remitti non poteſt ſine mortali. ita D. Th. loc. cit. a. 4.

Prob. I. Effectus remiſſionis peccati venialis eſt augmentum, ſeu, intenſio fervoris Charitatis; atqui non poteſt augeri charitatis fervor in ſubjecto charitate deſtituto, cujusmodi eſt anima gravi peccato obnoxia. ergo. II. Remiſſio cujuscunque peccati eſt effectus gratiæ gratum facientis: ſed quamdiu homo eſt gravi peccato obſtrictus, Deoque inimicus, non poteſt eſſe Deo gratus. Ergo.

44 Resolutio III. Peccata, ſemel per pænitentiam dimiſſa, non redeunt ad culpam ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid.

Prob.

Prob. I. Pars. Peccata remiſſa vel redirent ſecundum eſſe phyſicum, vel morale. Non quoad primum; quia ſic ſunt mera privatio, non ens, & ſubſequens peccatum eſt actus numero diſtinctus. Neque ſecundum eſſe morale, ſeu in acceptatione vel imputatione Dei; promiſit enim apud Ezechiel. XVIII. ſi impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Et quia formulæ abſolutionis non ſunt conditionatæ, ſeu annexæ non futuro relapſui.

Prob. II. Pars. Peccatum ſecundum quid redire dicitur, dum culpa ſubſequens redditur gravior: atqui hoc contingit; cum longe major ſit ingratitudo, iterum offendere illum, a quo ſumus miſericordiam conſecuti. Hinc SS. Patres tantopere invehuntur in relapſum peccatorum, & aliquibus etiam poſt pœnitentiam ſemel peractam iterum in peccata canonica prolapſis Communionem Eccleſiæ publicam aut omnino, aut longiſſimo tempore denegarunt.

Objic. contra III. Reſolutionem. Merita mortificata per pœnitentiam reviviſcunt: ergo & peccata ſemel dimiſſa per ſubſequens peccatum redeunt; cum Deus ſit æque juſtus ac miſericors. II. Matth. XVIII. legitur, quod, licet Dominus ſervo totum dimiſiſſet debitum, tamen propter tyrannidem in conſervum poſtea exercitam iratus juſſerit eum tradi tortoribus, quoad usque redderet noviſſimum quadrantem. Ergo debita jamjam

remiſſa

remiſſa per novum peccatum redibant. III. Jacob. II. 10. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus:* ergo etiam, qui denuo peccat, priorum peccatorum reus efficitur. IV. Mulier ſareptana III. Reg. XVII. 18. dixit ad Eliam: *quid mihi & tibi vir Dei ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ.* Ergo &c.

Resp. ad I. *nego conſeq.* Ratio eſt; quia Deus pronior eſt ad miſerendum, quam ad puniendum, & cum ſit meritorum principalis author, illa manent adhuc in acceptatione ejusdem: peccata vero, cum Deus eorum non ſit auctor, non manent in indignatione divina; utpote qui teſtatur, ſe iniquitatum pœnitentis non recordari amplius.

Respond. ad II. debita illa rediiſſe juxta aliquos ſecundum quid, in quantum peccatum ſubſequens ſua enormitate adæquavit gravitatem præteritorum. Aut dici poteſt, illam debitorum dimiſſionem fuiſſe conditionatam, ſi nimirum & ipſe ſervus ſuo conſervo dimitteret; voluit enim Chriſtus illa parabola oſtendere, non remitti nobis a Deo peccata, ſi non remiſerimus fratribus ex corde. Sic intelligo Augustinum ſerm. 83. alias 15. de verb. Dom. cap. 6. „ Dicit Deus: dimit„ te, & dimittetur tibi. Sed ego prior di„ miſi, dimitte vel poſtea. Nam ſi non di„ miſeris, revocabo te, & quidquid tibi di„ miſeram, replicabo tibi. Non enim men„ titur veritas, non enim fallit, aut fallitur Chriſtus. „

Re-

Respond. ad III. textus hic varie explicatur, nullo ſenſu tamen adverſariis favet. 1. Fit omnium reus, quantum ad pœnam damni, quam hic incurrit per unam transgreſſionem divinæ legis. ita Lyranus. 2. Qui offendit in uno, id eſt, contra Charitatem agit, de qua loquitur Jacobus, factus eſt omnium reus; quoniam agit contra eam virtutem, in qua omnia pendent, ſcilicet lex & Prophetæ. ita V. Beda. 3. Fit omnium reus, id eſt, omnium præteritorum operum bonorum merito privatur. Ita Carthusianus. 4. fit omnium reus, id eſt, totam legis univerſitatem, quæ ex ſingulis legibus integratur, violat; fuit enim Phariſæorum error, eum ſalvandum fore, qui majorem partem legis ſervaret, etſi non totam, eoquod majorem habeat acervum bonorum operum, quam malorum. Cui errori occurrit hic S. Jacobus ita Estius, Cornelius, Tirinus apud Cartier.

Resp. ad IV. hoc loquitur mulier de peccatis nondum dimiſſis, quorum erat dilata pœna, quam ad præſentiam Prophetæ, tanquam delictis ſuis adverſi, infligendam putabat: vel de pœna temporali peccatorum remiſſorum, ad præſentiam Eliæ acceleranda. Habert. pag 484.

Resolutio IV. Merita per peccatum 46
ſubſequens mortificata per pœnitentiam reviviſcunt, non tamen ordinarie ad eum gradum, quo antea fuerant, ſed commenſuratum præſenti pœnitentis diſpoſitioni.

Prob.

Prob. I. pars, quæ eſt communis theologorum, ex ſacra ſcriptura. Ezechiel XXXIII. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die converſus fuerit.* Atqui noceret vel maxime etiam poſt converſionem, ſi priora merita non reſtituerentur ei. Item Joël. II. 25. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca,* ſeu præteritarum actionum mercedem, ut exponit Hieronymus, addens hæc contra Novatum: ſi poſt pœnitentiam Deus tantam ubertatem pollicetur, quid reſpondebit Novatus negans pœnitentiam, & reformari peccatores in priſtinum ſtatum? dein Trid. Seſſ. VI. 16. adducit illud Apoſtoli Hebr. VI. 10. *non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius,* ubi addit: „ Nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam vere promeruiſſe cenſeantur. „ Ergo reviviſcunt per pœnitentiam opera illa quondam in Deo facta, in ordine ad præmium ſaltem eſſentiale & quemdam gradum gratiæ & meritorum priſtinorum.

Ratio convincens, cum res iſta unice dependeat a libera Dei voluntate, dari non poteſt, ſed probabilis conjectura; cum enim per pœnitentiam reſtituatur gratia ſanctificans,

cans, virtutes & dona; hinc infertur, etiam merita redire, quæ ſunt quaſi appendix, & fructus ex gratia & charitate tanquam radice promanantes.

Prob. II. Pars, quæ eſt controverſa. Pœ- 47
nitens non ſemper recuperat per pœnitentiam gratiam & virtutes in gradu tam intenſo, ut antea habuerat: ergo nec merita, utpote quæ intenſioni & extenſioni gratiæ & virtutum reſpondent. Antec. eſt S. THOMÆ hic Q. LXXXIX. Art. 2. ubi docet, pœnitentiam quandoque reſurgere in majori gratia, quam prius habebat, quandoque in æquali, quandoque in minori: quod falſum tamen foret, ſi ſemper totum recuperaret, quod ante habuit quoad gradum intenſionis. 2. Non eſt pœnitens melioris conditionis, quam innocens; atqui innocenti non largitur Deus gratiam & charitatem habitualem, niſi juxta proportionem diſpoſitionis propriæ, ergo nec pœnitenti. 3. Sententia adverſariorum labefactat rigorem Chriſtianæ diſciplinæ; ſi enim per actum pœnitentiæ utcunque remiſſum omnia priſtina reſtituantur merita in eo gradu, quo fuerant: non amplius tantam dabit operam virtutum ſtudio, quantam impendet ille, qui perſuaſum habet, multo labore, gemitu, & afflictione opus eſſe, ut priſtinas acquirat opes. Nam pœnitentia, ut ait TERTULLIANUS lib. de pœnit. cap. 9. eſt proſternendi & humilificandi hominis diſciplina. 4. Videmus id in humanis contingere; ut aliquis, qui ob delictum principis

gratia exciderat, ab aula propterea ejectus, si in gratiam tandem denuo recipiatur, non statim iisdem apud principem polleat favoribus, ut antea, sed id demum successive contingat, dum emendationis, fidelitatisque suæ continua ediderit documenta.

48 *Prob. III.* Pars. In prima hominis adulti justificatione confertur pœnitenti gratia secundum propriam dispositionem, uti expresse docet Trid. Sess. VI. cap. 7. his verbis: „ Vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque secundum suam mensuram, qua Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. „ Ergo & in secunda justificatione non confertur alius gratiæ & meritorum pristinorum gradus, quam qui præsenti dispositioni respondeat. (S. Thomas in III. D. XXXI. Quæst. I. 2. docet hoc ipsum) Art. IV. quæstiunc. 3. ad 2. Pœnitentia omnia merita mortificata restituit; sed non oportet quoad æqualia, & III. P. Quæst. LXXXIX. Art. 2. „ secundum quod motus liberi arbitrii est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam fuerat illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque vero minori, & ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quam prius habuerat, quandoque

„ autem in æquali, quandoque etiam in mino- „ ri. Et art. V: ad 3. „ Dicendum, quod ille, qui „ per pœnitentiam reſurgit in minore chari- „ tate, conſequetur quidem præmium eſſen- „ tiale ſecundum quantitatem charitatis, in „ qua invenitur. „ At juxta Adverſarios reciperet illud ſecundum quantitatem charitatis, quam habuit antea.

Objic. contra IV. Reſolut. Nonnullæ vir- 49
tutes reſtitui non poſſunt, ut virginitas: ergo nec ejus meritum. antec. prob. S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtoch. „ Audenter loquor: cum „ omnia poſſit Deus, virginem ſuſcitare non „ poteſt poſt ruinam. „

II. Sicut Scriptura dicit, quod Deus poſt pœnitentiam non recordetur peccatorum priorum; ita etiam dicit Ezech. XVIII. de juſto poſt peccatum: *omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.* Ergo ſicut non redeunt peccata, ita nec merita.

III. Deſtructa gratia ſanctificante, tanquam meritorum radice, neceſſe eſt etiam merita deſtrui; cum illis peccatum formaliter opponatur: quod autem non eſt, non poteſt reviviſcere.

IV. contra 2. partem. In hac ſententia non reviviſcerent merita perfecte, & totaliter, ſed tantum ex parte: at hoc videtur repugnare ſcripturæ ſacræ, quæ nihil dicit de iſta diminutione. Ezech. XXXIII. *Impietas ejus non nocebit ei, ſi egerit pœnitentiam.* Atqui noceret, ſi non integra merita reviviſcerent. ergo &c.

V. S.Thom.docet merita mortificata resurgere tantum ad præmium accidentale. Ergo. *Antec.* prob. sic enim ait III. P. Q. L. XXXIX. A. V. ad 3. „ Ille, qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem „ præmium essentiale secundum quantitatem „ charitatis, in qua invenitur; habebit tamen „ gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. „ Et in III. D. XXXI. Quæst. I. A. IV. quæstiunc. 3. ad 4. homo, „ per „ priora merita (mortificata) merebatur sibi „ tantam gloriam, quantam charitatem habebat. Sed ipse per peccatum factus est alter, & non plenarie ad pristinum gradum „ restitutus: & ideo non plenarie recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad „ præmium accidentale. „

Resp. ad I. *dist. antec.* Non potest restitui virginitas, materialiter sumpta pro integritate corporis, *conc.* sumpta formaliter pro proposito continentiæ, & meritis virginitati priori respondentibus, *neg.*

℟. ad II. *nego conseq.* disparitas data fuit n. 45. vel *dist.* quamdiu est in peccato, *conc.* post justificationem, *nego.*

Resp. ad II. disting. etiam textum: Justitiæ ejus non recordabuntur, durante statu peccati, *conc.* peccato per pœnitentiam deleto, *nego.* tunc enim reviviscit eorum radix: ergo & fructus juxta proportionem.

℟. ad

℟. ad III. Deſtruuntur merita in ſe, & quoad eſſe phyſicum, *trans.* quoad eſſe morale, quod habent in acceptatione Dei, *neg.* quamvis merita non amplius exiſtant in homine: exiſtit tamen apud Deum primaria eorum origo, nempe Chriſtus, propter cujus dignitatem Pater æternus rationem habet meritorum juſti.

℟. ad IV. *diſt.* non reviviſcerent ex parte hominis, defectu diſpoſitionis, *conc.* quantum eſt ex efficacia ipſius pœnitentiæ, & ex parte Dei, qui de ſe paratus eſt, integra merita acceptare, ſi diſpoſitio fuerit iis commenſurata, *neg.* hinc ait S. Thom. III. P. Quæſt. LXXXIX. A. II. ad 2. „ Pœnitentia, quantum eſt de ſe, „ habet virtutem reparandi omnes defectus „ ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem ſtatum; ſed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſius movetur in Deum, & in deteſtationem peccati. „ Textus Ezechiel. tantum probat, non recordari Deum peccatorum in ordine ad pœnam æternam, cum culpa dimiſſam: non autem, quod pœnitens nullum omnino inde detrimentum patiatur; certe enim remanet non raro reatus pœnæ temporalis, pravi habitus, ac debilitas animæ, ad peccatum inclinans, tanquam pœna præteritorum peccatorum.

℟. ad V. S. Th. non negat, merita reviviſcere ad præmium eſſentiale, commenſuratum præſenti diſpoſitioni, ſed vult, quod non ſemper reviviſcant ad totum, ſed quod pœnitens

pro illa integritate recipiat præmium accidentale.

50 Pro Coronide hujus materiæ pauca dicenda supersunt de *objecto* & *subjecto* poenitentiæ. Igitur objectum poenitentiæ est peccatum personale proprium, non autem originale, vel alienum, ut docet S. Thomas in IV. Dist. XVII. Quæst. II. Art. II. quæstiunc. 2. in corp. „ Dicendum, quod contritio est dolor respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiem: & ideo de illis solis peccatis esse potest, quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proveniunt. Et quia peccatum originale non nostra voluntate inductum est, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum; ideo de ipso non potest esse contritio, proprie loquendo, sed displicentia potest esse de eo, vel dolor. „ De alieno docet ibidem quæstiunc. 5. corp. „ quod idem illud conteritur, quod prius durum & integrum fuit: unde patet, quod contritio pro peccato sit in eodem, in quo peccati duritia præcessit; & sic de peccatis alienis non est contritio. „ Hinc colligitur, non fuisse in Christo virtutem poenitentiæ; cum ab intrinseco fuerit impeccabilis: de alienis autem non detur poenitentia, proprie loquendo, nisi sumatur pro satisfactione: Econtra eam reperiri in innocentibus, tanquam habitum infusum, cum peccati committendi sint capaces. Dubitatur, an remaneat habitus poenitentiæ in beatis? Non putem; nec enim peccatum, nec dolor in illis locum habet. Nam *absterget*

Deus

Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum: ſine dolore autem non poteſt concipi pœnitentia, ut nec fides ſine obſcuritate.

CAPUT II.

DE SACRAMENTI POENITENTIÆ ESSENTIA ET EXISTENTIA.

Concil. Trid. ſeſſ. XIV. cap. 1. pænitentiam 51
definit ſacramentum, quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur, dum nimirum ſacerdotis abſolutione peccata poſt baptiſmum commiſſa remittuntur. Quod ut ut apud catholicos certum ſit, ab hæreticis tamen noſtrorum temporum præfracte negatur. Exiſtimant enim, poteſtatem remittendi peccata â Chriſto conceſſam conſiſtere in prædicatione Evangelii, & excitatione ad fidem, qua credunt ſibi peccata propter Chriſti merita non imputari, aut in poteſtate conferendi baptiſmum, aut nuda declaratione peccati, â Deo intuitu fidei, dimiſſi, aut ſpectare ſolum ad externum eccleſiæ regimen, quæ pro ſua authoritate, & confœderata diſciplina pœnitentes â ſuis conventibus excludere poſſit, donec ſcandalum purgaverint, aut poſt ſatisfactionem denuo admittere. Igitur hic inquirimus, 1. an detur in Eccleſia poteſtas remittendi peccata, & in quo iſta poteſtas conſiſtat, & an ad omnia peccata ſe extendat: 2. an exiſtat proprie dictum Pœnitentiæ ſacramentum, â Baptiſmo diſtinctum: 3. â quo,

& quando institutum : 4. Quae ejus essentia generatim?

§. I.

An detur in Ecclesia potestas remittendi omnia peccata, & in quo consistat?

52 RESOLUTIO I. Existit in Ecclesia potestas remittendi peccata.

Probatur I. ex S. Scriptura. Christus promissam Matth. XVI. & XVIII. potestatem clavium, seu ligandi & solvendi, vere etiam concessit post resurrectionem. Joan. XX. 22. *Hæc cum dixisset, insufflavit & dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ quidem verba constans Ecclesiæ traditio pro potestate proprie remittendi peccata intellexit, ita, ut ne quidem ullus hæreticorum ante Lutherum & Calvinum eam impugnaverit. Montanistæ enim & Novatiani, etsi pertinaciter negarent, graviora crimina ab Ecclesia posse remitti, potestatem tamen absolvendi a plerisque peccatis non impugnarunt, sed sponte admiserunt. TERTULLIANUS Montanista Lib. de pudicitia cap. 2. distinguit peccata in remissibilia, & irremissibilia, cap. 9. peccata irremissibilia vocat capitalia & inconcessibilia, ejusmodi erant *mœchia, homicidium, apostasia.* ac tandem c. 18. ait, peccata leviora ab Ecclesia, capitalia vero â solo

Deo

Deo remitti. „ Sed ſi, inquit, clementia Dei „ ignorantibus adhuc & infidelibus compe„ tit, utique & pœnitentia ad ſe clementiam „ invitat, ſalva illa pœnitentiæ ſpecie poſt fi„ dem, quæ aut levioribus delictis veniam ab „ Epiſcopo conſequi poterit, aut majoribus & „ irremiſſibilibus â ſolo Deo.„ De Novatianis ſcribit AMBROSIUS lib. 1. de pœnit. cap. 2. „ Sed ajunt, ſe exceptis gravioribus crimini„ bus relaxare veniam levioribus. „ Superfluum jam fuerit alios adducere Patres, quos certum eſt, ſe Montaniſtis & Novatianis oppoſuiſſe, atque poteſtatem remittendi ad omnia etiam graviſſima extendiſſe. Waldenſes cum pravis Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi denegaverint, eamque probis laicis aſſeruerint, uti de iis teſtatur REYNERUS lib. 5. contra Waldenſes, eo ipſo poteſtatem remittendi in Eccleſia conceſſerunt.

RESOLUTIO II. Iſta poteſtas non conſi- 53
ſtit in prædicatione Evangelii, nec in ſola facultate conferendi Baptiſmum.

Prob. I. pars. Poteſtatem annunciandi Evangelium Chriſtus alio tempore conceſſerat Apoſtolis: citato ante loco Joannis nullam fecit Evangelii mentionem, ſed ait illimitate: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

II. Prob. ex eo, quod Chriſtus dederit Apoſtolis eandem poteſtatem, quam ipſe habuerat â Patre, intellige miniſterialem, atqui Chriſtus non habuit tantum poteſtatem prædicandi, ſed & proprie peccata remittendi, ut

eſt indubitatum, ergo. M. prob. antequam Chriſtus dixerit: *Accipite Spiritum Sanctum.* præmiſit: *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* Ergo voluit deſignare, ſe tribuendo poteſtatem remittendi peccata, tribuere eandem, qua ipſe præditus erat; id, quod ſubtiliter obſervat S. CHRYSOSTOMUS lib. 3. de ſacerdot.

54 *Prob. II.* pars. Nihil ibi Chriſtus ait de jure conferendi Baptiſmum: quin potius ſuppoſuit, peccata non niſi baptizatis eſſe remittenda; cum enim poteſtas ligandi & ſolvendi ſit judiciaria, hæc autem exerceri non poſſit, niſi in eum, qui per baptiſmum factus eſt Eccleſiæ ſubditus, juxta illud Pauli I. Cor. V. 12. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* conſequens eſt, poteſtatem fuiſſe conceſſam in peccata à baptizatis commiſſa. Atque in hunc ſenſum explicarunt Patres laudata verba, agentes contra Novatianos, quorum non nulli omnibus peccatis poſt baptiſmum, plerique non niſi gravioribus veniam negarunt. Quando autem non nulli Patres catechumenos alloquentes videntur illis omne poſt baptiſmum in peccata lapſuris denegare remedium, fecerunt id ſolum, ut eos contra relapſum caute præmunirent; ne, ſi de remedio prævie loquerentur, anſam quaſi & licentiam prævaricandi tribuerent, ob ſuggeſtam ſpem veniæ. Obſervat hoc TERTULLIANUS lib. de pœnit. cap. 7. „ Hucusque (de Baptiſ„ mo locutus fuerat) Chriſte Domine ſervis „ tuis diſcere vel audire contingat, quous„ que

„ que etiam delinquere non oportet audien-
„ tibus, vel nihil jam de pœnitentia noverint,
„ nihil ejus requirant. Piget ſecundæ, imo
„ jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem, ne
„ retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi,
„ ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare vi-
„ deamur. „

Resolutio III. Poteſtas illa non conſi-ſtit in declaratione criminis â Deo dimiſſi, ſed in ipſa remiſſione, Dei nomine facta. Eſt hæc reſolutio non tantum adverſus Proteſtantes, ſed & non nullos veteres Theologos, ut Magiſt. ſent. *Alenſem* &c.

Prob. I. Ex ſcriptura, quæ docet, ſolutionem ſacerdotis in terra quodammodo eſſe priorem ſolutione illa, quæ fit in cœlo. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

Prob. II. Traditione P. P. Chrysostomus lib. 3. de ſacerdotio iſtam dat differentiam ſacerdotum Novi Teſtamenti ab illis legis veteris. „ Quænam obſecro, ait, pote-
„ ſtas hac una major eſſe queat? Pater omni-
„ fariam filio poteſtatem dedit; cæterum vi-
„ deo ipſam eandem omnifariam poteſtatem
„ â filio illis traditam: corporis lepram pur-
„ gare, ſeu verius dicam, non purgare qui-
„ dem, ſed purgatam probare Judæorum, ſa-
„ cerdotibus licebat: at vero noſtris ſacerdo-
„ tibus non corporis lepram, ſed animæ ſor-
„ des, non dico purgatas probare, ſed & pur-
„ gare prorſus conceſſum eſt. „ Patres alii

ut Cyprianus Epist. 57. Hilarius comment. in Matth. 16. n. 7. docent, sacerdotum sententiam in solvendo priorem esse divina. Ergo non est declaratio criminis, ante sacerdotis absolutionem â Deo remissi.

56 *Prob. III.* Non nullis rationibus. 1. Sacerdotes sunt â Deo constituti judices, juxta illud: *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel*: atqui judex non tantum declarat, sed absolvendo vere remittit. Ergo &c. 2. Effectus sacramenti poenitentiae est reconciliatio peccatoris cum Deo: Ergo ante ejus susceptionem poenitens nondum est reconciliatus, ergo reconciliatur per sententiam sacerdotis. 3. Si esset nuda declaratio, tunc esset vere inutilis; cui enim fieri deberet? non Deo; qui omnia aliunde novit. Non Ecclesiae; quae de occultis non judicat. Non poenitenti; qui melius quandoque scit ministro, quid in sua conscientia agatur. Non denique Sacerdoti; quia declaratio fieri debet ad alterum.

57 Objic. contra I. & III. Resolut. solus Deus peccata dimittit: ergo non est ista facultas penes Ecclesiam.

II. Hieronym. in Math. 16. explicans verba Christi de clavibus Petro datis, sic scribit: „ Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur. „ Legimus in Levitico de leprosis, ubi juben-

tur,

„ tur, ut oſtendant ſe ſacerdotibus, &, ſi le-
„ pram habuerint, tunc â ſacerdote immun-
„ di fiunt: non quo ſacerdotes leproſos fa-
„ ciant & immundos, ſed quo habeant noti-
„ tiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcer-
„ nere, qui mundus, quive immundus ſit.
„ Quomodo ergo ibi ſacerdos leproſum mun-
„ dum vel immundum facit, ſic & hic alligat
„ vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter, non eos,
„ qui inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio
„ ſuo, cum peccatorum audierint veritates,
„ ſcit, qui ligandus ſit, quive ſolvendus. „
Ergo ſacerdotes tantum declarant.

Respond. ad I. D. ſolus Deus peccata dimittit, *principaliter* & poteſtate *propria, conc.* ita ut Eccleſiæ non competat poteſtas *miniſterialis delegata*, ut in baptiſmo, *nego.* Jam hoc Phariſæorum argumento utebantur Novatiani, quibus reſpondit Pacianus Epiſt. I. ad Sempronianum: „Solus hoc, inquies, Deus „ poterit? verum eſt: ſed & quod per ſacer- „ dotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. „

Respond. ad II. Agit Hieronymus contra quosdam, qui poteſtate ſua abuſi, indifferenter & ſine reſpectu ad vitam pro ſolo privato affectu quosdam ligabant, alios ſolvebant; non tamen propterea poteſtatem negat ſolvendi, ſed verbis ultimis manifeſte confirmat. Vult ergo, ſacerdotes ſua poteſtate prudenter uti, & eos ſolvere, qui ſpectata pœnitentia ſolvendi ſunt; reliquos ligare oportere: quod utique & omnes catholici docent.

Reso-

58 Resolutio IV. Poteſtas clavium non ſpectat ſolum externum Eccleſiæ regimen.

Prob. I. Ex dictis conſtat, peccata vere coram Deo remitti, ergo. *II.* Poteſtas Eccleſiæ conceſſa non conſiſtit tantum in facultate, quosdam â cœtu Eccleſiæ arcendi, aut readmittendi, ſed in poteſtate clavium claudendi, & aperiendi cœlum. *III.* Iſta ſacerdotum poteſtas â Patribus deſcribitur, tanquam ſumma, & extraordinaria: atqui non eſſet talis, ſi tantum politica foret, & ex confœderata diſciplina ortum haberet. Ergo. *IV.* Poteſtas illa eſt â ſolo Deo, qui ſolus peccata principaliter poteſt remittere, ut Patres paſſim inculcant. Atqui poteſtas politica non eſſet â Deo, ſed ab ipſis fidelibus, qui ſponte hoc fœdus iniiſſe finguntur, ut pro qualitate criminis ab Eccleſia excludi, nec niſi poſt præſtitam Eccleſiæ ſatisfactionem eidem denuo reſtitui vellent. Ergo &c.

59 Resolutio V. Hæc poteſtas ſe extendit ad omnia crimina; ita, ut nullum peccatum ſit irremiſſibile. Contra Montaniſtas & Novatianos; quamvis, quod Tertullianum Montaniſtam attinet, videatur ille hujus fuiſſe opiniouis, Eccleſiam quidem habere poteſtatem omnia delicta donandi: ſed non expedire, ut eadem ſemper utatur. Vide eundem lib. de pudicitia cap. 21.

Prob. I. Poteſtas remittendi peccata a Chriſto illimitate absque ulla reſtrictione conceſſa fuit: *Quæcunque ſolveritis* &c. *quorum*

remi-

remiſeritis peccata &c. eademque uſi fuerunt Apoſtoli; ſic PAULUS abſolvit inceſtuoſum Corinthium II. Corinth. II. JOANNES Apoſtolus Juvenem a ſe converſum, deinceps vero latronum ducem effectum poſt pœnitentiam Eccleſiæ communioni reſtituit, ut teſtatur CLEMENS Alexandrinus ſerm. *quis dives ſalvetur* num. 42. novæ Edit. *Potteri*, ſequentia referens: „Tum „ Apoſtolus ſpondens dejeransque veniam ſe „ illi a Salvatore nactum eſſe . . . Exinde „ partim crebris orationibus Deum deprecans, „ partim continuatis una cum Juvene jejuniis „ ſimul decertans, variisque denique ſermonum illecebris animum ejus demulcens, non „ prius deſtitit, quam illum firma conſtantia „ Eccleſiæ gremio admoviſſet; magno veræ „ pœnitentiæ exemplo exhibito, grandique „ iteratæ generationis documento, & futuræ „ reſurrectionis trophæo, quando in conſummatione ſæculi Angeli vere pœnitentes „ in ſupercæleſtia habitacula deportabunt „ &c. „

II. Graviſſimum erat ſcelus, quod Judæi Chriſtum cruci affigendo perpetraverant; ad pœnitentiam tamen pro eodem agendam cum ſpe veniæ hortatur eos Petrus Actor. II. 23. „ Hunc (JEſum) per manus iniquorum affligentes intereміſtis . . . Pœnitentiam agite, „ & baptizetur unusquisque &c. „ Quamvis autem hoc loco ſermo ſit de pœnitentia ante baptiſmum agenda, & peccatis virtute baptiſmi remittendis: Idem tamen Petrus Act. VIII. 22. Simonem recepto jam baptiſmo gravis-

gravissime in Spiritum S. delinquentem ad pœnitentiam hortatur his verbis: „ Pœnitentiam „ itaque age ab hac nequitia tua, & roga „ Deum, si forte remittatur tibi hæc cogita- „ tio cordis tui. „ Ubi *το forte* non ad veniæ, sed ad pœnitentiæ, forte non serio ab eo agendæ, incertitudinem referri debet.

III. Ad Apostolorum exemplum gravissimi alii peccatores post actam pœnitentiam a primis Episcopis absoluti & Ecclesiæ communioni iterum restituti fuerunt. Ita de DIONYSIO Corinthiorum Episcopo testatur EUSEBIUS Hist. Eccles. IV. 23. eum in epistola ad Ecclesiam Amastrianorum: „ Cunctos, qui a quovis „ lapsu, sive delicto, sive etiam ab hæretica „ pravitate resiliunt, benigne suscipi jussisse. „ de mulieribus quibusdam a Marco præstigiatore amatoriis carminibus corruptis scribit S. IRENÆUS Lib. I. contra Hæres. cap. XIII. n. 5. nov. edit. *Massueti*: „ Ipsæmet sæpe, quum „ ad Ecclesiam Dei rediissent, confessæ sunt, „ seque corpore ab eo contaminatas fuisse, „ miroque ipsius amore exarsisse . . . Ipsius „ (Diaconi) Uxor singulari pulchritudine fœ- „ mina, tum animo tum corpore ab hoc ma- „ go corrupta est, eumque quum perdiu se- „ quuta esset, postea non sine magno labore „ a fratribus conversa, per omne reliquum „ vitæ tempus admissum scelus confiteri non „ destitit, labem eam, quæ ei a mago acci- „ derat, lugens ac lacrymis prosequens. „ Nec minus de CYPRIANO constat, eum lapsis in persecutione, & legitima pœnitentia functis,

ctis, veniam, & Eccleſiæ communionem indulſiſſe, de quo ſuo loco redibit ſermo.

IV. SS. Patres alii non tantum nullum crimen excipiunt, ſed Montaniſtis & Novatianis data opera ſeſe oppoſuerunt. Ita S. Ambrosius de Pœnitentia l. 3. „ Deus diſtin„ ctionem non facit, qui miſericordiam ſuam „ promiſit omnibus, & relaxandi licentiam „ Sacerdotibus ſine ulla exceptione conces„ ſit. „ Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis ſerm. III. „ Nihil excipit (Deus) nec ma„ gna vel modica. „

V. Certum eſt, omnia etiam graviſſima crimina baptiſmo remitti; ergo idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ, quod a Patribus alter, & laborioſus Baptiſmus, & ſecunda poſt naufragium tabula appellatur.

Objic. contra V. Reſolut. plurimi ſcriptu- 60
ræ & Patrum textus inſinuare videntur, quædam peccata irremiſſibilia eſſe aut quosdam pœnitentes veniam non poſſe conſequi: quibus reſponderi poteſt, eſſe multa peccata, quæ veniam non conſequantur *facile* propter obſtinationem, vel ſubtractionem gratiæ efficacis, vel ob defectum veræ & ſeriæ pœnitentiæ: nullibi vero dicitur, eſſe quoddam peccatum *abſolute* irremiſſibile, ſi adſit vera pœnitentia. Sic Matth. XII. dicitur, peccatum in Spiritum ſanctum non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Senſus eſt, *difficulter* ejusmodi peccatum remitti; quia dum quis ex mera malitia peccat in Spiritum ſanctum, boni-

bonitatis authorem, haud facile *efficacem* pœnitendi gratiam habebit; hinc in desperationem & impœnitentiam formalem prolabitur, cui utique nulla est promissa venia; cum omnis condonatio in scriptura sit *conditionata*, si nimirum seria ad Deum conversio præcesserit.

61 Objic. II. Illud Pauli Hebr. VI. „ *Impossibile* est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, rursus renovari ad pœnitentiam. Ergo peccata post Baptismum commissa non possunt remitti. „

II. Ibidem cap. XII. de Esau dicitur: „ Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisiisset eam. „ Ergo.

III. De Antiocho similiter dicitur: 2. Machab. IX. 13. „ Rogabat scelestus Dominum, â quo non esset misericordiam consecuturus. „

Resp. ad I. *disting.* impossibile est renovari ad pœnitentiam per *novum Baptismum*, de quo ibi agit D. Paulus, & qui iterari non potest, *conc.* per *sacramentum pœnitentiæ: subdist.* est impossibile *moraliter*, id est, difficillimum, *conc.* impossibile *absolute*, *neg.* Vel denique: impossibile est renovari ea *facilitate* & perfectione, ut in Baptismo, *conc.* est *prorsus* impossi-

poſſibile, *nego.* difficillimum ſane eſt homini, poſt Baptiſmum libere & per malitiam ſeu ſtudioſe peccanti, ad veram & ſtabilem pœnitentiam renovari; cum ſe gratiæ divinæ, quam conculcavit, reddiderit indignum, & ſolius gratuitæ miſericordiæ ſit, efficacem concedere gratiam, ſine qua nullus ſerio pœnitebit.

Respond. ad II. Non eſt ibi ſermo de pœnitentia Eſau erga Deum, ſed erga Patrem Iſaac, qui prius benedixerat Jacobo ſecundo genito, eique benedictionem primogeniti contulerat. Quodſi etiam de pœnitentia erga Deum ſermo eſſet, ea non fuiſſet propter offenſam Dei, ſed propter amiſſa bona temporalia primogenituræ, qui dolor *naturalis* ad veniam non ſufficit.

Respond. ad III. Antiochus non doluit de peccatis ob rationem offenſæ, ſed quod tantos ipſi â Deo contraxerint inflictos corporis dolores. Cæterum ſi ſerio & vere doluiſſet, miſericordiam haud dubie fuiſſet conſecutus.

Objic. III. Peccatum, pro quo dimittendo ne quidem orare licet, videtur ab Eccleſia remitti non poſſe: ſed eſt quoddam peccatum, pro quo orare non licet; Ait enim S. Joannes Epiſt. I. Cap. V. 16. „ Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis. „ Ergo &c.

℞. I. Trans. M. neg. min. Non enim dicit Apostolus, *prohibitum* esse pro tali fratre peccante orare, sed hoc vult, quod non cum tanta fiducia remissionem tam gravis peccati a fratre commissi sperare possit, quemadmodum si deprecaretur pro veniali, quod facilius condonatur. Preces pro altero fusæ habent quidem rationem meriti & impetrationem apud Deum: nemo autem gratiam primam sibi Ipsi, multo minus alteri, saltem immediate & de condigno mereri potest, ut suppono ex Prælectionibus de *Merito.*

℞. II. Per *peccatum ad mortem* intelligi hoc loco potest vel quodlibet peccatum grave, quod dicitur *mortale*, ad differentiam venialis, pro cujus remissione non tam cito exauditur oratio aliena: vel gravissimum quoddam & specificum, v. g. impœnitentia finalis, consuetudo cum proposito perseverandi in peccato, apostasia a fide & veritate agnita cum pertinacia non resipiscendi &c. Quisquis enim tali obstrictus est crimine, ordinaria quadam gratia, quæ communi deprecationi respondere solet, vix unquam convertitur, nisi Deus efficacissimum largiatur auxilium, quod tam facile sperari non potest.

℞. III. Forte S. Joannes loquitur de ejusmodi peccato gravi, ob quod delinquens e gremio Ecclesiæ fuerat per excommunicationem ejiciendus, qui eo ipso communibus fidelium precibus & *sanctorum communione* fuerat privatus, ita ut, publice saltem, pro eo non debue-

buerit orari. Plures aliæ ad difficilem hunc locum reſponſiones videri poſſunt apud Interpretes, Theologos, *Tournelyum* maxime, ejusque continuatorem, neſcio, an emendatorem *Colletum*.

§. II.

An Pœnitentia ſit verum Novæ Legis Sacramentum, a baptiſmo diſtinctum?

Hodiernos Proteſtantes primos omnium exſtitiſſe, qui pœnitentiam e Sacramentorum albo expunxerunt, conſtat ex dictis §. præced. n. 52. Neque tamen illi omnes inter ſe concordant. Lutherus de captiv. Babylon. eam Sacramentum eſſe admiſit his verbis: „ Principio neganda mihi ſunt ſeptem „ Sacramenta, & tantum tria pro tempore „ ponenda, Baptiſmus, Pœnitentia, panis: „ Quod tamen ſui oblitus ad finem ejusdem libri denuo negat: „ Si rigide loqui velimus, „ ait, tantum duo ſunt in Eccleſia Dei ſacra„ menta, Baptiſmus & panis. „ Apologia confeſſionis Auguſtanæ eam inter ſacramenta proprie dicta numerat Art. VII. „ Si ſacra„ menta vocamus ritus, qui habent manda„ tum Dei, & quibus addita eſt promiſſio gra„ tiæ, facile eſt judicare, quæ ſint proprie „ ſacramenta; nam ritus ab hominibus in„ ſtituti non erunt hoc modo proprie dicta ſa„ cramenta: Non eſt enim auctoritatis hu- 63

„ humanæ promittere gratiam . . . Vere „ igitur ſunt ſacramenta, Baptiſmus, Cœna „ Domini, *Abſolutio*, quæ eſt ſacramentum „ Pœnitentiæ; nam hi ritus habent manda- „ tum Dei, & promiſſionem gratiæ: certo e- „ nim debent ſtatuere corda, cum baptiza- „ mur, cum veſcimur corpore Domini, cum „ abſolvimur, quod vere nobis ignoſcat Deus „ propter Chriſtum. „ Hodie autem Lutherani communiter id negant, duo ſolum ſacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam ſtatuentes, ut patet ex Moshemio in Element. theolog. dogmat. P. III. Cap. IV. §. II. pag. 833. seq. Et Schuberto Inſtitut. theolog. dogmat. §. DXII. quamvis confeſſionem & abſolutionem privatam, poſt Confeſſionem Auguſtanam, retinendam eſſe velint. Sentiunt cum illis & Calviniani, ac Zwingliani, qui univerſim pœnitentiam ſacramentum eſſe negant. At quoniam probe perſpiciunt, lapſis poſt Baptiſmum quodam opus eſſe remedio, ſeu, ſigno ad obſignandam illorum fidem; hinc dicunt, Baptiſmum, ejusque memoriam id efficere. Duo igitur demonſtranda ſunt: Pœnitentiam & verum novæ legis ſacramentum eſſe, & â Baptiſmo diſtinctum.

64 Resolutio I. Pœnitentia eſt verum novæ legis ſacramentum. Ita Trid. ſeſſ. XIV. can. 1.

Probat. I. Ad rationem veri ſacramenti requiritur 1. ſignum ſenſibile, 2. inſtitutio divina, 3. promiſſio gratiæ: atqui hæc habentur

in

in pœnitentia. Ergo. *min.* prob. quoad 1. datur in Ecclesia potestas remittendi peccata ex §. præcedenti: atqui non posset exerceri illa, nisi adesset ritus quidam externus, unde sciri queat, quorum remittantur, quorum vero retineantur peccata: ergo. *min.* prob. quoad 2. Potestas remittendi peccata est â Deo ex §. præcedenti: atqui ipsa peccati remissio est gratiæ promissio; quoniam sine gratiæ infusione non fit illa remissio, ut suppono ex tract. de justificatione.

Prob. II. Ex Patrum traditione, quos magno numero per quælibet sæcula allegant dogmatici: & ex consensu Ecclesiæ tam græcæ, 65
quam latinæ, quæ in hoc dogma semper conspiravit, ut patet ex actis græcorum contra Lutheranos, a SCHELSTRATO editis; Neque enim inter tot controversias græcos inter & latinos obortas, ac maxima contentione agitatas, de numero septenario sacramentorum unquam fuit disceptatum: quod perpetui consensus est evidens signum, & argumentum præscriptionis conficit, si enim Pœnitentia sacramentum non esset, dudum Ecclesia in capitali dogmate errasset, quod est contra promissam â Christo Spiritus sancti assistentiam, vi cujus Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.

RESOLUTIO II. Pœnitentia est sacramentum â Baptismo distinctum. Ita denuo Trid. 66
sess. XIV. cap. 2. & can. 2.

Prob. I. Pœnitentia eſt remedium â Chriſto inſtitutum pro peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, & toties quoties iterabile: ergo eſt â Baptiſmo diſtinctum; cum hic iterari nequeat: impoſſibile enim eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, ſeu baptizati, iterum renovari ad pœnitentiam per iteratum baptiſmum, ut loquitur Paulus n. 61. cit. Antecedens autem patet, quia pœnitentia eſt quoddam judicium, quod non niſi in ſubditos exerceri poteſt: non fiunt autem niſi per Baptiſmum ſubditi, ergo judicium pœnitentiæ in Baptizatorum peccata exercendum eſt.

Prob. II. Patres agnoſcunt pœnitentiam tanquam ſecundam poſt naufragium tabulam, id eſt, tanquam remedium pro illis, qui gratia baptiſmali amiſſa juſtificatione indigent, ergo hoc ipſo differt â Baptiſmo.

Prob. III. Conſtat ab Eccleſiæ veteris praxi, peccatores baptizatos longo tempore, ac variis pœnarum exercitationibus ad ſatisfaciendum Deo fuiſſe probatos, donec iis abſolutio ſolennis concederetur: at hæc fruſtra fuiſſent, ſi ſola Baptiſmi recordatione fuiſſent juſtificati.

Prob. IV. Rationibus Concil. Trid. cap. 2. Alia eſt materia & forma Baptiſmi, quam pœnitentiæ. 2. Miniſter Baptiſmi non eſt Judex; cum illi, quos baptizat, adhuc foris ſint, de quibus non eſt Eccleſiæ judicare. 3. Alius eſt Baptiſmi, alius pœnitentiæ fructus; per Baptiſmum enim nova efficimur creatura, regulari-

gulariter omni reatu culpæ & pœnæ etiam temporalis dimiſſo: dum econtra in pœnitentia ad hanc novitatem & integritatem ſine magnis noſtris fletibus & laboribus divina ſic exigente juſtitia pervenire nequaquam poſſumus.

OBJIC. contra I. peccatorum remiſſio nul- 67
lis indiget verbis: cum Chriſtus nulla præſcripſerit: ergo non eſt ſacramentum. II. Nequidem Catholici ſemper docebant pœnitentiam eſſe ſacramentum; negabant enim non nulli, gratiam per abſolutionem conferri, quam adſcribebant contritioni perfectæ, quomodo Magiſter ſententiarum, aliique ipſum ſecuti: ergo.

RESPOND. ad I. *neg. antec.* voluit enim Chriſtus, ut peccatorum remiſſio fieret per actum judicialem exterius expreſſum; ut & ipſi pœnitenti innoteſceret, maxime cum ejusmodi formulæ abſolutionis in omnibus ritualibus deprehendantur.

RESPOND. ad II. Ajunt non nulli, illos erraſſe; alii eos excuſant, eoquod remiſſionem peccati & gratiam non alligaverint nudæ contritioni, ſed prout erat conjuncta cum voto ſacramenti: nunc autem alia eſt Theologorum ſententia poſt Concil. Tridentinum.

OBJIC. contra II. Reſolutionem. Patres il- 68
la verba: *quorum remiſeritis* &c. explicant de poteſtate conferendi Baptiſmum, quo peccata delentur univerſa. Ergo.

II. Idem eſt Pœnitentiæ & Baptismi effectus, nempe productio gratiæ, & collatio vitæ ſpiritualis, ergo & idem Sacramentum.

Respond. ad I. non nulli Patres largiti ſunt Novatianis, illa verba de poteſtate baptizandi exponi poſſe, ſed non tantum,: quin ex inſtituto contra eos probarunt, in Eccleſia poteſtatem exiſtere dimittendi peccata, etiam poſt Baptismum commiſſa, idque ex cit. verbis.

℟. Ad II. Eſt quidem eadem gratia quoad entitatem, ſed non eodem modo, & ex eadem cauſa proveniens; gratia enim in Baptismo confertur per regenerationem, in pœnitentia per reſuſcitationem, quæ ubique differunt.

69 Objic. III. S. Augustinus Lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 33. docet, peccata, etiam poſt Baptismum commiſſa, ſolius virtute baptismi remitti. Sic enim ſcribit: „ Eodem „ Lavacro regenerationis & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundantur atque ſanantur; „ non ſolum peccata, quæ nunc remittuntur in Baptismo, ſed etiam quæ poſterius „ humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo quod „ ſemel datur, fit, ut non ſolum antea, verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum „ venia fidelibus impetretur.

Resp.

Resp. *Diſt. Ant.* virtute baptiſmi remitti *remote* & quaſi in radice, *conc. formaliter*, & quaſi per cauſam proximam, *nego ant.* Cum Baptiſmus fundamentum ſit reliquorum Sacramentorum, ita ut ſine illo nullum valeat, veriſſime dicitur, Baptiſmo, tanquam cauſa remota & mediata fidelium peccata remitti; quia Jurisdictio Eccleſiaſtica & poteſtas clavium non niſi in baptizatos exerceri poteſt. Hanc autem S. Augustini mentem eſſe, & ex eodemmet colligitur, dum loc cit. ita loquitur: „ Quid enim prodeſſet vel ante „ baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſma ſe„ queretur, vel poſtea, niſi præcederet? In „ ipſa quoque dominica oratione, quæ quo„ tidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, „ quo effectu diceretur: *dimitte nobis debita* „ *noſtra*, niſi ab eis, qui baptizati ſunt, di„ ceretur? Itemque eleemoſynarum largitas „ & beneficentia quantalibet, cui tandem ad „ dimittenda ſua peccata prodeſſet, ſi bapti„ zatus non eſſet? „

§. III.

A quo, & quo tempore inſtitutum fuerit hoc Sacramentum?

Resolutio. inſtitutum fuit a Chriſto poſt reſurrectionem Joan. 20.

Prob. I. pars. Non poteſt ab homine 70
provenire poteſtas remittendi peccata; quoniam nonniſi ab offenſo remittitur injuria:

 pec-

peccatum eſt injuria in Deum commiſſa: igitur a Deo principaliter, a Chriſto autem per excellentiam, vi cujus habuit omnem a Patre poteſtatem, fuit inſtituta.

Prob. II. pars. Tunc dicitur inſtitui Sacramentum; quando determinatur materia & forma, & promiſſio gratiæ, ſeu effectus: atqui hæ fuere determinatæ poſt reſurrectionem Joan. 20. Ibi enim dixit Chriſtus: „ ſicut miſit me Pater, ita mitto vos. Dein in- „ ſufflavit in eos & dixit: accipite Spiritum „ ſanctum, quorum remiſeritis peccata, re- „ mittentur eis. „ Hic in primis determinatur *materia remota*, nempe peccata, & *proxima* neceſſario involvitur; nam virtutem pœnitentiæ elevavit ad eſſe Sacramentale: virtus autem pœnitentiæ neceſſario requirit contritionem, ſeu deteſtationem peccati ex legitimo motivo, cum aliter peccatum non remittatur ex dictis Cap. I. determinavit ſimul neceſſitatem *confeſſionis*; ſine hac enim non poſſunt Sacerdotes exercere judicium, niſi de peccatis cognoſcerent, ut ea vel ſolvant, vel ligent. Ac denique ipſa *poteſtas* per actum judicialem & ſententiam exprimenda: qua poſita ſequitur *effectus*, nempe remiſſio peccati. Porro confeſſionem & contritionem, ſaltem ſigno quodam exteriori manifeſtatam, eſſe neceſſariam, patet; quia alias non adeſſet materia ſenſibilis, quæ tamen ad Sacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile, requiritur.

Objic.

Objic. I. Chriſtus jam ante reſurrectio- 71
nem Matth. XVI. Petro conceſſit poteſtatem hanc: *quodcunque ligaveris, quodcunque ſolveris &c.* & omnibus quoque Apoſtolis Matth. XVIII. *quæcunque alligaveritis* &c. ergo.

II. Tunc datur poteſtas in corpus Chriſti myſticum, quando datur in corpus Chriſti verum: atqui hanc dedit Chriſtus in ultima cæna, dum Apoſtolos ordinavit Sacerdotes; ergo.

Resp. ad I. Chriſtus ibi tantum *promiſit* poteſtatem clavium, poſt reſurrectionem actu conferendam; dixit enim: tibi dabo claves regni cælorum. Quodſi eam jam ante reſurrectionem habuiſſent, Chriſtus non tanto cum apparatu, & cum inſufflatione Spiritus ſancti, & cum aſſeveratione, quod eos mittat, *ſicut ipſe fuerat miſſus a Patre*, uſus fuiſſet. Nec erat conveniens, ut prius haberent poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, quam in verum.

Resp. ad II. *diſt. antec.* Tunc datur poteſtas *radicalis*, *conc.* ipſum etiam *exercitium*, *neg.* in charactere ordinis ſacerdotalis fundatur jurisdictio, & hinc etiam in ordinatione moderna prius ordinantur ſacerdotes ad poteſtatem conſecrandi, ac poſtea peracta communione ait Epiſcopus: *accipite Spiritum ſanctum.*

§. IV.

§. IV.

De Sacramenti hujus Essentia generatim.

72 Essentia Sacramenti, ut notum est, constat ex materia & forma. Est autem materia duplex, *circa quam*, & *ex qua*, sive *remota* & *proxima*: Illam esse peccata post Baptismum commissa, ex dictis colligitur. De materia vero proxima diversæ fuerunt olim auctorum opiniones, nec aliquid circa hoc definivit Concil. Trid. nam dixit studiose, ipsius pœnitentis actus esse NB. *quasi materiam* hujus Sacramenti, nempe contritionem, confessionem & satisfactionem, qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Atque ita post S. Th. communis jam scholarum est sententia, exceptis Scotistis, qui totam pœnitentiæ essentiam in sola absolutione constituunt; quæ quatenus est ritus sensibilis, habeat rationem materiæ, quatenus autem significat effectum, formæ. Durandus putabat, confessionem esse materiam, formam vero absolutionem: contritionem esse tantum dispositionem præviam, satisfactionem vero esse pœnitentiæ fructum. Non nulli, ut Guilielmus antissiodorensis quem sequitur Witassius, pro materia assignant impositionem

nem manus ſacerdotis una cum actibus pœnitentis, ſive dein hi habeant ſolam rationem diſpoſitionis, ſive etiam materiæ partialis. Gerson & pauci alii hominem ipſum faciunt materiam hujus Sacramenti; cum tamen ſit ſolum ſubjectum.

Resolutio I. Abſolutio non eſt mate- 73
ria, ſeu tota Sacramenti eſſentia, ſed eſt forma, contra Scotiſtas.

Prob. I. In omni Sacramento debet eſſe quiddam per modum materiæ, circa quam verſatur forma: ergo etiam abſolutio debet circa aliquid a ſe diſtinctum verſari.

II. Tam Florent: quam Trident. Concilia actus pœnitentis tanquam quaſi materiam diſtinguunt ab abſolutione: ergo hæc non habet rationem materiæ.

III. Trid. Seſſ. XIV. cap. 3. dicit, abſolutionem eſſe formam, in qua præcipue vis Sacramenti ſita ſit: ergo in ſola abſolutione non tota conſiſtit. Poſtmodum enuntiat actus pœnitentis tanquam quaſi materiam. Quænam autem verba ad eſſentiam pertineant, & quis ſit formæ ſenſus, proprio loco dicetur.

Resolutio II. Non eſt veroſimile, ma- 74
nuum impoſitionem ſacerdotis eſſe materiam hujus Sacramenti. Contra Carolum *Witaſſe*, & citatos ibidem.

Prob. I. Nec Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum meminit impoſitionis manuum, nec Apoſtoli leguntur eam adhibuiſſe, ſicut tamen eam adhibuerunt in confirmatione & ordine: ergo.

II. Si

II. Si requireretur impoſitio manus, tunc forte ideo, quia alias pœnitentia non eſſet ſignum ſenſibile: atqui ſine impoſitione manuum eſt ſignum ſenſibile; cum diſtincta peccatorum confeſſio & expoſitio contritionis, propoſiti, acceptatio ſatisfactionis, ipſaque abſolutio ſatis pœnitentiam ſenſibilem reddant.

III. A multis ſæculis, quibus ritus pœnitentiæ publicæ non amplius obſervatur, non imponitur pœnitenti manus in abſolutione: ergo ſignum eſt, quod eam Eccleſia pro materia nunquam habuerit, ſed pro ceremonia tantum, aut pro abſolutione indulgentiali.

IV. Nec Trid. nec Florentinum, nec alia Concilia recentiora, quando de Sacramento pœnitentiæ pertractant, impoſitionem manus pro materia aſſignant, nec etiam communis theologorum, quorum plerique de ea nequidem ſomniarunt. Ergo falſum videtur, quod ait Witasse, temere agere illos, & afferre pœnitentibus pericula, qui absque manus impoſitione abſolutionem pœnitentibus impertiuntur.

Objicit *Witaſſe.* I. Pœnitentiæ Sacramentum apud veteres appellabatur manus impoſitio, uti ab Auguſtino Lib. III. de Bapt. cap. 16. n. 21. *Manus autem impoſitio in pœnitentia non ſicut Baptismus repeti non poteſt*: quod neque de confirmatione, neque de ordinatione intelligi poteſt. Ergo.

II. Impoſitioni manus ab antiquis adſcribitur effectus Sacramenti pœnitentiæ proprius,

prius, nempe reconciliatio. ſic Concil. Carthag. IV. can. 76. *reconcilietur per manus impoſitionem.* & can. 78. *pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Evchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.*

III. Impoſitio manus adeo ab antiquis reputabatur neceſſaria, ut nec in Articulo mortis omitteretur, ut patet ex cit. can. 76. Concil. Carthag. IV. „ Is qui pœnitentiam in „ infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſa„ cerdos invitatus venit, oppreſſus infirmi„ tate obmutuerit, vel in phrænefin verſus „ fuerit, dent teſtimonium, qui eum audie„ runt, & accipiat pœnitentiam, & ſi conti„ nuo creditur moriturus, reconcilietur per „ manus impoſitionem, & infundatur ori ejus „ Evchariſtia. „

IV. Ritus, qui ab Apoſtolorum ævo ubique & conſtanter fuit obſervatus, pro materia Sacramenti habendus eſt; atqui impoſitio manus in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ per priora Eccleſiæ ſæcula ubique & conſtanter fuit obſervatus, & ſine ea nullus fuit reconciliatus, ut plena ſunt Patrum, & Conciliorum opera his teſtimoniis. Ergo.

Resp. ad I. *Diſt.* vocatur impoſitio manus, quia illa tanquam ritus ſolebat adhiberi, tum in ſolenni pœnitentium ſuſceptione, & pœnitentiæ injunctione, tum in ſolenni eorum reconciliatione, quæ tamen non erat *Sacramentalis*, ſed vel *Canonica*, id eſt, dum aliquis

liquis post peractam poenitentiam restituebatur communioni fidelium, & juri participandi Sacramenta: vel *indulgentialis*, quando necdum expleta poenitentia solenni pars ejus remittebatur, *conc.* quasi ad substantiam Sacramenti fuerit necessaria, *nego.*

Resp. ad II. *nego antec.* Canones citati loquuntur tantum de reconciliatione Canonica, seu absolutione ab excommunicatione non Sacramentali, vel indulgentiali, non autem de Sacramentali.

Resp. ad III. Eodem modo, quod evidens est ex eo; quia *Cyprianus* eandem potestatem reconciliandi facit Diacono, quem utique Sacramentaliter absolvere potuisse, non dicet Witassius. Sic autem scribit Cyprianus Ep. 13. ad clerum suæ Ecclesiæ de lapsis. „ Si incommodo aliquo lapsi, libellis martyrum instructi, & infirmitatis „ periculo occupati fuerint, non exspectata „ præsentia nostra apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, „ apud Diaconum quoque exhomologesin facere delicti sui possint, ut manu in poenitentiam eis imposita veniant ad Dominum „ cum pace, quam dari martyres litteris ad „ nos factis desideraverunt. „ Hic observandum, neque exhomologesin illam fuisse Sacramentalem, sed ut moris erat, publicam & repetitam peccati sui, postquam poenitentiæ subditum fuerat, confessionem, nec absolu-

ſolutionem Sacramentalem, ſed reſtitutionem communioni Eccleſiaſticæ, orationibus fidelium, & participationi Sacramentorum. Hanc porro abſolutionem indulgentialem, vel ab excommunicatione quadam minore CYPRIANUS tunc impeditus delegabat Presbyteris & Diaconis: cum alias ſolennis pœnitentium reconciliatio Epiſcopis propria eſſet. Ex quo demum conſtat, eam impoſitionem manus non fuiſſe proprie Sacramentalem. Firmatur reſponſio ex eo, quod narrat Dionyſ. Alexandrinus Epiſt. ad Fabium antiochenum, apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. cap. 44. de Serapione in perſecutione lapſo, nec hactenus veniam conſecuto, qui cum in infirmitatem gravem incidiſſet, & ſacerdotem ad ſe accerſiſſet, Presbyter autem ægrotaret, & puero, qui eum vocaverat, exiguam Evchariſtiæ partem tradidiſſet, ut in aqua intinctam in os ſenis inſtillaret, qui, inquam, cum eam abſorpſiſſet, continuo animam exhalavit: ait igitur de hoc DIONYSIUS: *an non perſpicue apparet, eum reſervatum fuiſſe, quoad reconciliaretur*, nempe per communionem Evchariſtiæ Eccleſiæ communioni reſtitueretur. Nam idem Dionyſius in mandatis dederat, ut morituris, ſi peterent, & maxime, ſi antea ſuppliciter poſtulaſſent, venia indulgeretur. Ex quo patet, reconciliationem illam conſtitiſſe in abſolutione a pœnitentia canonica, & reſtitutione juris participandi Sacramenta, adeoque ipſam Evchariſtiæ communionem fuiſſe appellatam reconciliationem.

Resp. denique ad IV. Dist. quod ubique & constanter observatur tanquam *pars Sacramenti, concedo.* Tanquam *ritus* extra Sacramentum in solenni poenitentiae impositione, & eorum canonica reconciliatione, ut hactenus observatum, *nego.* Nam ab eo tempore, quo ritus poenitentiae publicae exolevit, etiam impositio manus cessavit: quod signum est, eam ad Sacramenti substantiam nunquam pertinuisse; cum eam Ecclesia immutare nequeat. Quodsi autem in ipsa etiam Sacramentali absolutione fuerit olim adhibita, ceremonia tantum fuit ab Ecclesia instituta, quae salva Sacramenti substantia omitti potest.

75 Resolutio III. Igitur materia Sacramenti poenitentiae sunt ipsius poenitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio: quamvis non quilibet istorum actuum sit in re necessarius, & essentialis Sacramento.

I. Pars constat ex dictis n. 72. namque in omni Sacramento requiritur aliquid, quod se habeat per modum materiae, & sit contradistinctum a forma, quae materiae est applicanda, qua determinetur ad esse Sacramentale: atqui materiae vicem sustinent dicti poenitentis actus, ut ex ipso Concil. Trid. constat, ergo &c.

II. Quoque Pars certa videtur; nam confessio explicita & distincta peccatorum quandoque est impossibilis, & suppletur per signa & nutus, ut in mutis, aut sensibus in subita infir-

infirmitate deſtitutis. Neque etiam ſatisfactio *in re* ſemper poteſt peragi, ut ſi æger mox poſt abſolutionem moriatur. Semper tamen requiritur contritio cum voto ſatisfaciendi Deo pro injuria, non amplius eum offendendi, peccata, ſi fieri poſſet, confitendi, ac injungendam ſatisfactionem perſolvendi. Nam ſine virtute pœnitentiæ, quam Sacramentum tantum perficit, non poteſt dari remiſſio: virtus autem pœnitentiæ in contritione præcipue conſiſtit, ut ſuppono ex dictis.

Objic. contra III. Reſolutionem. Trid. 76
Concil. actus pœnitentis ſolum vocat *quaſi materiam:* ergo non ſunt proprie materia.

II. Idem concilium conſulto dixit, actus illos eſſe quaſi materiam *pœnitentiæ*, non autem *Sacramenti*: ergo &c.

III. Contritio a Trid. vocatur ſolum *diſpoſitio:* ergo non eſt materia.

IV. Si actus pœnitentis eſſent materia, tunc non ſolum ſacerdos eſſet miniſter, ſed etiam ipſe pœnitens, qui poneret materiam; atqui hoc iterum eſt contra Trident. & communem. Ergo.

V. Sacramenta producunt effectum a Chriſto determinatum; non ſolum ratione formæ, ſed etiam materiæ; quia utraque ſimul totum conſtituit Sacramentum: ergo ſi actus pœnitentis ſunt materia, ipſe pœnitens, qui materiam ponit, cum ſacerdote producit gratiam, ſicque poſſet dici ſe ipſum abſolvere ſaltem partialiter, quod eſt abſurdum.

VI. Contritio non eſt ſenſibilis, ergo non eſt materia.

Resp. ad I. vocat quaſi materiam, non quod non vere habeat rationem Sacramenti, ſed quod non ſit ejus generis, quæ extrinſecus adhibetur, ut aqua, oleum, panis &c.

℟. ad II. Concilium ideo a vocabulo *Sacramenti* abſtinuit, quia nolebat definire controverſias ſcholaſticorum, nec eas damnare: poteſt tamen mens ejus ſufficienter ex dictis intelligi.

℟. ad III. non dicit contritionem eſſe diſpoſitionem ad *Sacramentum*, ſed ad *effectum Sacramenti*, nempe juſtificationem & gratiam. Quodſi etiam dixiſſet diſpoſitionem ad Sacramentum, non inde ſequeretur, non conſtituere intrinſece Sacramentum; quia contritionem ſpectaſſet ſolitarie, & ſic ſumpta, ſine reliquis partibus, & ſine abſolutione, utique non conſtituit totam & adæquatam Sacramenti eſſentiam.

℟. ad IV. *neg. ſeq. Maj.* cum enim pœnitentiæ Sacramentum habeat rationem judicii, ſolus ille erit miniſter, qui eſt judex, nempe ſacerdos. Pœnitens agit perſonam Rei & teſtis, quem nemo dicit miniſtrum, ſeu cauſam efficientem judicii.

℟. ad V. D. Sacramenta producunt effectum etiam ratione materiæ, alio tamen modo, *conc.* eodem modo, *nego.* Actus pœnitentis, ut docet S. Thomas P. III. Q. LXXXVI. A. 6. materialiter ſe habent in Sacramento pœnitentiæ, & concurrunt ad effectum Sacramenti

ſecun-

ſecundario, in quantum aliqualiter ordinantur ad claves Eccleſiæ: principaliter autem effectus eſt a forma, id eſt abſolutione. Nec tamen inde ſequitur pœnitentem ſe ipſum abſolvere; nam abſolutio eſt actus judicii: pœnitens autem fungitur Perſona rei & teſtis, qui utique non abſolvit, ſed abſolvitur.

Resp. ad VI. *diſtinguo*. Contritio non eſt ſenſibilis ratione ſui, *conc.* ratione confeſſionis, vel alterius ſigni, quo manifeſtatur, *nego*.

Colligi ex dictis facile poteſt, non dari 77
Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, ſeu, quod valeat quoad ſubſtantiam, nec tamen habeat effectum, uti fit tamen in non nullis aliis Sacramentis; quia ut Sacramentum valeat, requiritur, ut adſit debita materia, formæ applicatio cum intentione & poteſtate miniſtri. Cum autem ipſi pœnitentis actus ſint materia, hinc ſequitur, Sacramentum toties valere, & conſequenter etiam gratiam conferri, quoties pœnitens ex ſua parte eſt rite diſpoſitus, & a miniſtro legitimo abſolutus. Quodſi ex parte pœnitentis in diſpoſitione vel ex parte Miniſtri in Jurisdictione aut intentione aliquid deficiat, ipſum quoque Sacramentum nullum erit: dum econtra in aliis Sacramentis, ubi diſpoſitio, ſeu actus ſubjecti non ingrediuntur materiam, ut v. g. in Baptismo, validum dari poteſt Sacramentum, quin tamen ob indiſpoſitionem ſubjecti effectus ſequatur.

78 Colligitur 2. Sacramentum pœnitentiæ ficte ſuſceptum v. g. ex defectu doloris univerſalis propter affectum ad peccatum mortale, etiam remota fictione non reviviſcere; quia Sacramentum, quod ab initio von valuit, nunquam reviviſcit, ſeu convaleſcere poteſt: atqui Sacramentum pœnitentiæ ficte ſuſceptum non valuit; cum actus pœnitentis conſtituant ipſam materiam Sacramenti, ſine qua non datur Sacramentum validum.

CAPUT III.

DE CONTRITIONE.

79 Contritio, quæ primum locum inter prædictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, uti loquitur Concil. Trid. Seſſ. XIV. Cap. 4. quod integrum & ſæpius legi velim, ſicut totam illam Seſſionem, ut natura virtutis & Sacramenti pœnitentiæ plenius dignoſcatur. Cum autem contritio ſit ipſa virtus pœnitentiæ, hinc quæ de hac diximus Cap. I. huc trahenda, non iterum repetenda ſunt. Superſunt autem plura pertractanda. Ac primo quidem de natura contritionis in genere, ejusque proprietatibus. 2. An ſufficiat intra Sacramentum attritio ex ſolo metu gehennæ concepta, & an hæc ſententia ſit practice tuta. 3. Ah ad veram pœnitentiam etiam intra Sacramentum requiratur contritio perfecta ex motivo charitatis.

§. I.

§. I.

De natura & proprietatibus contritionis.

Docuit Lutherus, contritionem eſſe dunta- 80
xat terrorem quemdam conſcientiæ incuſſum ex conſideratione judiciorum Dei: ex quo conſequitur, eam non eſſe actum hominis pœnitentis, ſed paſſionem, & non eſſe liberam, ſed coactam. Docuit 2. non eſſe neceſſarium, ut contritio involvat odium vitæ veteris, ſed novæ tantum propoſitum. 3. Contritionem, quantacunque ſit, non eſſe cauſam noſtræ cum Deo reconciliationis, ſed hanc ſoli fidei in Chriſtum eſſe adſcribendam. 4. Timorem gehennæ non tantum non eſſe bonum animi motum, ſed hominem facere hypocritam. Quæ quidem omnia damnavit Concil. Trid. Seſſ. XIV. can. 4. & 5. & hic breviter confutanda ſunt, ubi etiam quæritur, an contritio debeat eſſe *vera*, nec ſufficiat *exiſtimata:* an ſupernaturalis: an debeat neceſſario involvere formale & explicitum, & non ſolum implicitum novæ vitæ propoſitum, quæ de ejus neceſſitate & præcepto dicenda forent, præoccupata ſunt cap. I.

Resolutio I. Contritio non eſt tantum 81
terror incuſſus conſcientiæ, aut mera hominis paſſio, ſed actio libera, honeſta. contra Lutheranos.

Prob. I. pars. Contritio in ſacra ſcriptura a Deo commendatur, diciturque ſacrificium Deo beneplacitum: Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

II. Contritio. quæ eſt pars pœnitentiæ, oritur ex terrore incuſſo; *quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* 2. Corinth. VII.

III. Terrores illi incuſſi etiam in iis locum habent, qui tamen de pœnitentia vera non cogitant. Sic *dæmones credunt & contremiſcunt,* ut ait Jacobus cap. 2. damnati quoque apud ſapientem cap. 5. inducuntur *turbati timore horribili, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes* &c.

IV. Deus terrorem incutiens efficit, ut cor lapideum, ſalutari terrore contritum, emolleſcat, & ad Deum moveatur; ait enim Ezechielis XI. *auferam cor lapideum de carne eorum. Et dabo eis cor carneum:* quamvis a Jeremia dicatur: *Deus conterens petram.* Hæc eſt enim vis *contritionis,* ut lapis antea durus, & ad finem artificis ineptus, poſtquam fuerit contritus, depoſita duritie fiat aptus ad quamcunque formam: ſic cor terrore concuſſum & contritum humiliatur ſub potenti manu Dei, & ad ejus arbitrium flectitur.

82 *Prob. II.* pars, quod non ſit mera paſſio, ſed actio hominis libera. Deus ad contritionem hortatur: ut Joel. 2. *ſcindite corda veſtra.* Excitat, ut eum timeat peccator, infinitis in locis:

locis: atqui Deus non hortatur nisi ad actiones nostras & humanas; nec enim præcipere potest aut vult, nisi quod in nostra est potestate saltem cum gratia. Ergo.

Prob. III. pars, esse actionem honestam 83
& bonam: ex eo ipso, quod Deo placeat, quod Deus eam a nobis exigat; non potest autem ei placere, vel ab eo postulari, nisi quod bonum est, & honestum. ergo &c. Ille timor debet etiam esse in sanctis: *timete Dominum omnes sancti ejus.* Ergo hoc ipso est bonus.

Resolutio II. Contritio debet involve- 84
re odium vitæ veteris *extensive* seu *appretiative* summum, & novæ propositum formale & explicitum. Contra laxiores probabilistas.

Quod requiratur odium veteris, & novæ vitæ propositum, constat ex cap. I. quod vero dolor ille debeat esse extensive & appretiative summus prob. Charitas erga Deum debet esset summa extensive, id est, ut homo Deum rebus omnibus creatis anteponat, omniaque ejus præcepta observare velit. ergo & odium debet se extendere ad omnia, quæ Deo sunt contraria, ita, ut pro nullo commutabili bono peccare velit. II. Odium vitæ veteris extensive summum dicit insuper dolorem universalem de singulis peccatis a peccatore perpetratis: atqui talis requiritur; nam Ezech. XXXVIII. Deus promittit veniam, *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis*, & hoc ipsum ibidem præcipit,

pit: agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. Ratio eſt. Contritio vera debet eſſe dolor de peccato, quatenus eſt offenſa Dei: ſed non poteſt homini diſplicere peccatum, ut eſt offenſa Dei, niſi ei omne peccatum diſpliceat; ſi enim vel unum placeat, non diſplicet offenſa Dei. Ubi tamen notandum, non requiri, ut pro ſingulis mortalibus tot eliciantur contritiones diſtinctæ, quamvis non nunquam hoc ſit conſultum, ſed ut unica ſe ad omnia peccata extendat. Sunt vero certa quædam peccatorum genera, quibus diutius & ſingillatim immorari non eſt conſultum, propter periculum delectationis & conſenſus, uti in materia luxuriæ & ſimilibus.

85 *Prob.* Hoc odium ſeu dolorem debere eſſe ſummum *appretiative*, non autem *intenſive.* I. Dolor qui debet eſſe ex toto corde, eſt ſummus: atqui contritio debet eſſe ex toto corde Joel. 2. *convertimini ad me in toto corde veſtro.* ergo. II. Tantum debet eſſe peccati odium, quantus eſſe debet amor boni peccato oppoſiti: atqui amor Dei debet eſſe ſummus appretiative: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. id eſt, ut nihil diligatur præ Deo: ergo etiam ſummum appretiative debet eſſe peccati odium; ſicut enim ſummum bonum ſummo amore proſequendum, ita ſummum malum quod eſt peccatum, ſummo odio deteſtandum.

86 Equidem dolor ille non debet eſſe ſummus *intenſive*, ſeu quoad *ſenſum;* cum is non

ſit

ſit in noſtra poteſtate: quamvis ad eum adniti pœnitentes debeant, maxime qui in gravioribus peccatis diutius hæſerunt: debet tamen eſſe ſummus in *ratione* & *judicio*, quo judicamus, Deum omnibus eſſe præferendum, ac omnia potius perferenda, quam ut in ejus offenſam conſentire velimus. Atque hinc fieri poteſt, ut quis *appretiative* plus diligat Deum, quam v. g. parentes, quos tamen *intenſive* magis diligit: etſi parentibus carere malit, quam in Deum delinquere: quæ quidem duo probe ſecernenda ſunt.

Prob. Novæ vitæ propoſitum debere eſſe 87
formale & *explicitum*. I. S. Scriptura, quoties peccatori pœnitentiam præcipit, duo ſemper injungit, & receſſum a malo, & acceſſum ad bonum Iſai. I. *quieſcite agere perverſe, diſcite bene agere.* Ezech. XVIII. 31. *Projicite a vobis iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum.* Amos V. 15. *Odite malum, & diligite bonum, ſi forte miſereatur Dominus.* Atque ita alibi infinitis in locis. II. Concilium Trident. contritionem definiens expreſſe addit propoſitum vitæ novæ. ergo debet illud exprimi. III. In pœnitentia pro mortalibus agenda tale requiritur vitæ novæ propoſitum, quale requiritur odium vitæ veteris: atqui hoc debet eſſe formale & explicitum, ut fatentur adverſarii, contra Lutheranos. Ergo & propoſitum. IV. Quamvis contritio ita implicite involvat odium peccati, ut ſine ea non poſſit concipi, debet tamen odium eſſe formale & explicitum: ergo quamvis novæ propoſi-

positum in ipsa contritione, seu recessu a malo, & conversione ad bonum implicite involvatur, debet tamen formaliter & explicite poni.

88 OBJIC. contra II. Resolut. Scriptura aliquando poenitentiae absque mentione propositi emendationis, saltem *expliciti*, veniam promittit. Sic Ezechiel. XVIII. 30. *Convertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ergo tantum requiritur peccati retractatio. II. Poenitentia cum fide, spe & charitate juncta sufficit ad justificationem in Sacramento: atqui talis poenitentia potest haberi sine explicito novae vitae proposito; quia poenitentia explicite tantum respicit tempus praeteritum, cum nollet Deum offendisse, non vero explicite tendit in futurum. ergo. III. Potest contingere, ut quis in agone constitutus praeteritorum peccatorum meminerit cum eorum debita detestatione, ac ante explicitum melioris vitae propositum moriatur, quo casu utique justificaretur. Ergo.

RESPOND. ad I. loquitur Ezechiel de poenitentia & conversione vera, & addit: *facite vobis cor novum, & spiritum novum.* ℞. ad II. *nego min.* Ipsa enim Charitas, cum praesens & futurum respiciat, imperat poenitenti, ut eliciat novae vitae propositum; cum utique sibi proponere poenitens debeat servare praecepta, Deumque rebus omnibus praeferre, nec unquam offendere. ℞. ad III. Si pec-

peccata deteſtetur ex charitate Dei, tunc illa charitas, quæ movet ad odium vitæ veteris, hoc ipſo etiam movet ad novæ propoſitum: cujus Exemplum profertur in latrone pio, qui ſuum propoſitum opere mox demonſtravit, nempe per fidem in Chriſtum vivam, patientiam mirabilem, & ſingularem pro Chriſto Zelum.

RESOLUTIO III. Contritio debet eſſe ſu- 89
pernaturalis. Contra non nullos laxiores probabiliſtas, ut Eſcobar, Filiucium &c.

Prob. I. Contritio eſt actus pœnitentiæ *ſalutaris*, & diſponens ad juſtificationem: atqui nihil naturale poteſt ad gratiam & ſalutem diſponere, ut definitum eſt contra Pelagianos, & ſemipelagianos tum can. 6. Concil. Arauſicani I. tum can. 3. Trident. Seſſ. VI. quia initium ſalutis non poteſt eſſe ex nobis: ſecus unus ſe ab altero diſcerneret ex naturæ viribus, quod eſt contra Paulum, & unanimem ſenſum SS. Patrum.

Prob. II. Dolor ob amiſſionem bonorum 90
temporalium provenit ab amore ad illa bona, cum dolor in amore boni amiſſi fundetur: atqui amor bonorum temporalium non tantum ad converſionem ad Deum, & ad juſtificationem non diſponit, ſed potius a Deo retrahit: ergo nec ille dolor ad juſtificationem diſponit, quod tamen ad contritionem requiritur. III. Qui de peccato tantum dolet propter bona temporalia, ille Deo tantum ſervit propter ejusmodi bona, ut advertit AUGUSTINUS in Pſalm.

Psalm. 77. „ qui propter beneficia terrena „ Deum quærebant, non utique Deum sed „ illa quærebant. Sic ergo Deus non coli„ tur; hoc enim colitur, quod diligitur. „ atqui actus, quo Deus non colitur, ad justificationem non disponit: ergo dolor de bonis temporalibus non disponit.

91 Respondent quidem Adversarii, peccatorem dolere de bonis temporalibus amissis, quatenus eorum jactura est a Deo inflicta in pœnam peccatorum, & eatenus fieri dolorem supernaturalem.

Contra est. nullus forte est, nisi atheus, qui non credat temporalia mala a Deo permitti in vindictam scelerum: nec tamen inde sequitur, omnem de amissione bonorum temporalium dolorem esse supernaturalem; non enim dolent de peccato, quod sit offensa Dei, quod tamen requiritur, sed quia causa fuit pœnæ temporalis. Sic enim etiam dæmones dolent de suo peccato, tanquam causa gravissimarum pœnarum, quin propterea dolor ille supernaturalis dici queat. Verbo: sic dolet avarus de amissis opibus, etsi non nesciat, hanc jacturam a Deo inflictam in vindictam suorum scelerum: atqui falsissimum est hunc dolorem, aut esse supernaturalem, aut veram constituere contritionem; cum enim amor erga illa bona sit naturalis, hinc dolor inde proveniens non nisi naturalis erit. Quippe amor est mensura doloris. Ex hoc capite non fuit vera pœnitentia Esau, Antiochi, & ipsius Caini.

RESO-

Resolutio IV. Contritio debet eſſe *ve-* 92
ra, non tantum *exiſtimata*. Contra laxiores non nullos.

Prob. I. Veræ contritioni ex S. Scriptura annexa eſt promiſſio veniæ; nec enim de ficta vel exiſtimata exponi poteſt. Sic etiam Concil. Trid. dum de contritione loquitur, veram utique, & re talem denotat: atqui addit Seſſ. XIV. cap. 4. fuit autem *quovis tempore* ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus neceſſarius &c. quod eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem & juſtificationem, illud vere poſitum eſſe debet, nec ſufficit illius exiſtimatio, etiam invincibilis; ſic Baptismus, quia eſt parvulis in re neceſſarius, niſi vera adfuerit aqua naturalis, vera forma, vera miniſtri intentio, etiamſi quidquam horum exiſtimetur adeſſe, nec valet Baptismus, nec juſtificatur parvulus: atqui contritio vera, de qua loquitur ſcriptura & traditio, eſt neceſſitate medii neceſſaria, ut conſtat ex cap. I. ergo ſine contritione vera non poteſt haberi juſtificatio.

Prob. II. Si contritio exiſtimata ſuffice- 93
ret, tunc Effectus ſequeretur vel ex vi Sacramenti, vel ex promiſſione Dei, vel ex voto Sacramenti & contritionis? atqui nihil horum dici poteſt. ergo &c. non ex *vi Sacramenti*; quia cum contritio vera ſit pars vel ſaltem diſpoſitio neceſſaria Sacramenti, ea deficiente Sacramentum non valet, nec poteſt habere effectum. Sic in Baptismo aqua, quæ tan-

tantum exiſtimatur naturalis, reddit Baptiſmum nullum. Non *ex promiſſione Dei;* hæc enim ſolum facta fuit veræ ad Deum converſioni, qualis non eſt contritio exiſtimata. Non ex *vi voti* ſacramenti, vel contritionis; nam ut votum ſacramenti ſuppleat effectum ſacramenti, requiritur ex Concil. Trid. contritio perfecta, extra ſacramentum juſtificativa. Vid. cap. 4. ſeſſ. XIV. votum autem contritionis non eſt contritio, ſicut votum Baptiſmi non eſt Baptiſmus; ut enim votum ſuſcipiendi Baptiſmum ſuppleat in neceſſitate ejus defectum, juxta omnes non ſufficit nudum deſiderium, ſed requiritur contritio perfecta cum propoſito Baptiſmi.

94 *Prob. III.* Contritio mere naturalis, etiamſi erronee exiſtimetur ſupernaturalis, non tamen propterea fit ſupernaturalis, nec ſufficit: ergo contritio etiamſi exiſtimetur vera, non propterea fit vera, nec ſufficit.

95 *Prob. IV.* Si quid in favorem contritionis exiſtimatæ allegari poſſet, tunc eſſet bona fides ejusmodi hominis, & ignorantia facti: atqui hoc non favet. Ergo. *min.* prob. nam ait ſapiens Prov. XIV. *eſt via, quæ videtur hominibus recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.* Item I. Cor. XIV. *Qui ignorat, ignorabitur.* Hæc itaque bona fides tantum efficiet, ut ne quis novum peccatum committat, non vero ut ſacramentum valeat, & effectum conſequatur.

Prob.

Prob. V. Deus non judicat secundum 96
apparentiam, sed secundum veritatem, *scrutans corda & renes:* secus sequeretur Deum redire cum homine in gratiam & amicitiam, qui sibi videtur ad Deum conversus, revera autem ultimum finem adhuc fixum habet in creatura, & actu est inimicus Dei. Atqui hoc est contra Dei justitiam, & ipsam reconciliationis naturam.

Objic. contra IV. Resolut. Hæc sententia 97
innumeros ingerit scrupulos, & perpetuam de adepta justificatione anxietatem; cum nemo unquam scire possit, an ipsius contritio fuerit vera, aut tantum existimata: sicque etiam intra sacramentum nulla haberetur salutis certitudo, quod videtur absurdum.

Respond. Ut vitentur scrupuli & nimia anxietas, sufficit probabilis, imo moralis certitudo de sua contritione, quam homo habere potest, dum moralem adhibuit diligentiam, cujus diligentiæ adhibitæ hæc possunt esse signa. 1. Si humili corde donum contritionis â Deo petierit; *humilibus enim dat gratiam Deus.* 2. Si non sentiat affectum ad grave peccatum, concludere poterit, ipsius contritionem non fuisse meram velleitatem. 3. Si sentiat verum odium erga omne, quod ipsum a Deo ad graviter peccandum pertrahere, vel allicere potest. 4. Si data peccandi occasione ab ea abstinuerit, & ipsas occasiones vitare studuerit. 5. Si interea frequentiores actus charitatis elicuerit; tunc enim signum

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

eſt, charitatem in corde ejus dominari. 6. Qui diutius in peccato fuerit verſatus, & modicum tantum tempus, levemque laborem impenderit converſioni, ille de veritate contritionis vehementer timere debet; hinc etiam confeſſariis non ſemper eſt conſultum, ut ejusmodi pœnitentes ſtatim abſolvant, ſed ad aliquod tempus differant, ad probandam contritionis veritatem, & propoſiti efficaciam, tum etiam ad experiendam ipſius pœnitentis humilitatem. Atque ex hac ipſa ratione exiſtimo, inter centum conſuetudinariorum confesſiones vix unam eſſe validam, ex defectu veræ contritionis, quæ raro aut vera eſt, aut ſupernaturalis, aut legitimo motivo inſtructa.

98 Resolutio V. Contritio eſt cauſa remiſſionis peccatorum, nimirum diſpoſitiva, quæ poteſt dici de congruo late ſumpto meritoria.

Prob. I. pars contra Lutherum, qui remisſionem peccatorum adſcribit ſoli fidei, & cujus error latius refutatur Tract. de Juſtificatione. Contritioni enim a Deo promiſſa eſt venia. Sic Ezech. XVIII. 27. *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua . . . ipſe animam ſuam vivificabit.* Item apud Joël II. 12. *Convertimini ad me, . . . quia benignus & miſericors eſt . . . quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat* &c. Sic etiam contritioni Ninivitarum adſcribitur conceſſa venia Jonæ III. 10. *Vidit Deus, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus* &c. De muliere peccatrice dixit Chriſtus

ſtus Luc. VII. 47. *Remittentur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* II. Contritio eſt diſpoſitio ad juſtificationem, ut conſtat ex Concil. Trid. & hactenus probatum fuit: atqui diſpoſitio eſt quodammodo cauſa effectus; & hoc ſenſu Patres non nulli dixerunt, quod pœnitens veniam mereatur, quia ad eam ſe diſponit, ac diſpoſitioni ut veniam largiatur Deus, miſericordiæ ejus congruum eſt.

§. II.

An intra Sacramentum ſufficiat attritio ex ſolo gehennæ metu concepta?

Contritionem eſſe duplicem, unam *perfectam,* 99
imperfectam alteram, quam ab anno 1220 (nec enim citius innotuerat hoc vocabulum) *attritionem* appellant, in vulgus notum eſt. Neque vero attritio eandem ſemper apud Theologos ſignificationem habuit. Nam *primo* veteres non nulli contritionis perfectæ nomine intelligebant dolorem de peccato, qui procedit ex gratia ſanctificante, & habitu charitatis formatus eſt: omnem autem alium dolorem, etiam ex charitate ſed actuali tantum elicitum, dicebant contritionem imperfectam, ſeu attritionem. Ita ALEXANDER Alenſis, ALBERTUS Magnus, DIONYSIUS Carthus. SCOTUS, aliique. 2. Quidam contritionem appellabant dolorem intenſum, attritionem vero dolorem minus intenſum, etſi ex eodem

motivo charitatis elicitum. Ita auctores nunc primum cit. & D. THOMAS. 3. SCOTUS cum prioribus fere sensit, at insuper voluit, dolorem ex amore Dei conceptum tamdiu manere attritionem, donec certum intensionis & durationis gradum, soli Deo cognitum acquireret, sicque fieret contritio. 4. Alii contritionem ab attritione per hoc distinguebant; quod illa deberet procedere ex motivo amoris benevolentiæ, seu ut loquebantur, amicitiæ: hæc ex motivo amoris concupiscentiæ. 5. Nonnulli etsi amorem ad attritionem requirerent, minimum tamen illius gradum sufficere arbitrati sunt. Hactenus attritionis nomine omnes intelligebant dolorem ex motivo amoris elicitum, quod probe notandum; quia adversarii, qui pro hodiernæ attritionis sufficientia pugnant, male antiquos illos, sicubi attritionis vocabulum in iis reperiunt, pro se allegant. Itaque 6. Primi omnium Franciscus VICTORIA, & Dominicus SOTO uterque Dominicanus, attritionem toto genere a contritione distinguentes, illum dolorem dicebant attritionem, atque intra sacramentum ad justificationem sufficere, qui ex turpitudine peccati, aut metu pœnarum infernalium peccata detestaretur, etiamsi ne initialem quidem amorem includeret: dummodo pœnitens bona fide existimaret, hunc suum dolorem esse contritionem. At vero Melchior CANUS hanc opinionem latius extendit, ita, ut attritionem mere servilem, & *qua talem* cognitam, ad justificationem intra sacramentum sufficere doceret,

ceret, cujus ſententia mox ſcholas paſſim pervaſit, etiamſi primi illi defenſores pavidi quodammodo monuiſſent, hanc opinionem, cum non ſit certa, & communi adverſa, non eſſe practice ſequendam, ſed ſemper ad veram attritionem, quæ ex amore Dei concipitur, eſſe adnitendum. At vero vix cunas exceſſit heri nata opinio, cum illius Patrini audaciores facti non tantum carpere auſi ſunt communem veterum doctrinam, ſed etiam a Tridentino Concil. virtualiter ſaltem proſcriptam clamabant. Quos tamen ſolide redarguit Cardinalis PALLAVICINUS Hiſtoriæ Trid. Concil. ſcriptor, & ALEXANDER VII. ſpeciali decreto 1667. ſub pœna excommunicationis inhibuit, ne quis alterutram ſententiam audeat cenſura theologica notare. Iſti quidem dolorem adhuc ſupernaturalem requirebant. At vero. 7. Nonnulli, quorum meminit TAPERUS, attritionem ex amore Dei naturali ad ſacramentum idoneam eſſe pronuntiarunt. 8. Multi alii etiam hoc non contenti quodlibet motivum naturale, modo honeſtum, v. g. metum malorum temporalium, ad attritionem ſufficere docuerunt. Hos damnavit INNOCENTIUS XI. anno 1679. proſcripta propoſitione 57. *probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.* 9. Tandem attritionem quidam accipiebant pro dolore imperfecto, nec univerſali: ut, ſi quis doleret de uno peccato, non tamen de ſingulis, aut ita doleret de ſingulis, ut ea quidem depoſuiſſe vellet, nondum autem firmiter animo propoſuerit ea deponere:

re: quorum dolor non nisi velleitas est. Isti fuere gradus, hæ vicissitudines, hæc incrementa opinionis, ante Concilium Tridentinum inauditæ. Hodie, qui pro attritione pugnant, communiter tamen requirunt aliquem *amorem* initialem, quem vocant *spei*, seu amorem concupiscentiæ, quem illi non pro actu virtutis theologicæ *charitatis*, sed *spei* agnoscunt: adeoque tamen hominem sine ullo actu veræ charitatis in sacramento justificari docent. Sed de amore spei agemus §. sequenti. Hic duo inquirimus: 1. An attritio servilis ex solo metu gehennæ concepta, absque ullo actu charitatis intra sacramentum proxime ad justificationem disponat: 2. An hæc opinio sit practice tuta?

Est tamen adhuc observandum, Concilium Tridentinum, dum de attritione loquitur sess. XIV. cap. 4. quod semper in hac materia præ oculis haberi velim, præcipue agere intendisse contra LUTHERUM, qui timorem pœnæ in peccatoribus malum esse, atque contritionem ex hoc motivo conceptam non solum ad gratiam non disponere, sed hominem ejusmodi efficere hypocritam, & magis peccatorem, pertinaciter docuit. Est autem timor generatim spectatus triplex: timor *naturæ*, *mundi*, & *Dei*. Primus est motus innatus naturæ, quodlibet malum fugientis. Alter e schola mundi proveniens, quo incommodum temporale præ Dei offensa formidatur. Hunc damnat Christus Matth. X. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occi-*

occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Tertius eſt timor Dei, iterumque duplex, *ſervilis*, & *caſtus*. Prior eſt, dum ſolo metu poenæ â peccato abſtinetur. Alter dum quis Deum ut ſupremum dominum & amantiſſimum Patrem reveretur, ac cavet, ne ſua culpa ei diſpliceat. Verbo: timor ſervilis eſt metus poenæ: caſtus eſt metus culpæ. Hic iterum duplex: *initialis*, & *filialis*. Prior eſt metus culpæ, adjunctum tamen habens metum pœnæ, qui plerumque initio converſionis reperitur, aut urgente gravi tentatione in ſubſidium vocatur. Poſterior eſt metus ſolius culpæ: de quo *Horatius:*

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Timor *ſervilis* iterum ab aliquibus duplex di- 100
ſtinguitur. *Simpliciter ſervilis*, qui ita quidem in pœnas æternas dirigitur, ut tamen excludat efficaciter voluntatem peccandi & attritus paratus eſt omittere peccatum, etiamſi non eſſet peccato ſtatuta pœna: alius eſt *ſerviliter ſervilis*, qui voluntatem peccandi non excludit, ſed, quod ſervorum proprium eſt, ita comparatus eſt attritus; ut, ſi peccato pœnæ ſtatuta non foret, malum potius, quam ejus omiſſionem eligeret. Sapienter autem advertit SS. Benedictus XIV. non eſſe confundendum pœnitentiæ vel attritionis *motivum* cum *occaſione* ejusdem; ſæpe enim contingit, ut quis morbo vel alio malo temporali vexatus, aut inferni pœnis conterritus, perpetrata cri-

mina mente revolvat, & divina adjuvante gratia eadem ex motivo ſupernaturali & ex timore vel initiali, vel etiam filiali ſerio deteſtetur: Ubi mala temporalia, & pœnæ inferni fuerunt quidem *occaſio*, non tamen *motivum* pœnitendi. Atque ex his quidem ſponte fluit, timorem ſervilem ſpecie diſtingui a timore filiali, ob motiva diverſa pœnæ, & culpæ: timorem autem initialem & filialem, cum eodem regantur motivo, ſolo gradu intra eandem ſpeciem diſtingui. Colligitur quoque, quommodo intelligendum illud: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, pœnæ ſcilicet, non culpæ; non quod Juſti non etiam aliquando timorem pœnæ adhibeant, cum vehementiore tentatione pulſantur: ſed quod ſola charitas, & timor filialis *ordinarie* ſe ſolo ſufficiat ad virtutum exercitium, dum in corde prædominatur. His obſervatis

101 Resolutio I. Attritio ex metu gehennæ concepta eſt actus honeſtus, ſupernaturalis, & ad juſtificationem, non quidem *proxime*, diſponens contra Lutherum definita a Concil. Trid. ſeſſ. XIV. cap. 4. & can. 5.

Prob. I. pars. Scriptura & Patres timorem iſtum ſuadent. Matth. X. *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* S. Augustinus in Pſalm. 127. „Bo„nus eſt & iſte timor, & utilis, ſcilicet ut an„te dixerat, quo quis præſentiam domini & „pœnas timet . . quo timet, ne mittatur in „gehennam.„ Item ſerm. XVI. n. 8. „Pla„ne

„ ne time gehennam, nihil melius times. „ Et lib. de catechizandis rudibus cap. 5. „ Si „ nondum potes amare justitiam, time vel „ pœnam, ut pervenias ad amandam justi- „ tiam. „

Prob. II. pars. Timor est donum Dei & 102
medium salutare ad conversionem: ergo est supernaturalis. *antec.* prob. Eccli. XXV. 15. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei.* Auctor lib. de vocatione gentium. „Gra- „ tia quidem Dei in omnibus justificationibus „ principaliter præeminet suadendo, monen- „ do exemplis, terrendo periculis in „ cujus utique devotione devota est voluntas, „ quæ auctore gratiæ eodem proficit timore, „ quo cæpit. „

Prob. III. pars. Actus, qui a peccato re- 103
trahit, & bonus est, &, cum supernaturalis sit, ad justificationem saltem remote disponit: atqui talis est timor gehennæ: ergo. *min.* prob. Eccli. I. 27. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Prov. I. 7. *Timor domini principium sapientiæ.* S. AUGUSTINUS in Psalm. V. „ Timor ma- „ gnum est præsidium procedentibus ad salu- „ tem: cum autem quisque pervenerit, fiet „ in eo, quod dictum est: consummata dilectio „ foras mittit timorem. „ Hinc ab ALEXANDRO VIII. damnata fuit propositio 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 15. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

 RESO-

104 Resolutio II. Attritio servilis ex solo metu gehennæ concepta, absque amore initiali ad justificationem intra sacramentum non sufficit. Loquor autem de illo metu gehennæ, quo solum timetur *pœna sensus*, ut fieri communiter solet: si enim quis gehennam timeat, ob *pœnam damni*, quia per eam a Deo suo summo bono & æterna beatitudine separatur, actus ille jam erit timor, seu amor initialis.

Prob. I. Attritio ex solo metu gehennæ concepta non excludit voluntatem peccandi: ergo nec intra sacramentum sufficit. *cons.* est evidens tum ex Trid. Concil. quod in attritione expresse requirit, ut excludat voluntatem peccandi: tum ex natura pœnitentiæ, quæ necessario involvit odium vitæ veteris, & novæ propositum. *antec.* prob. I. e S. S. Patribus, Augustinus lib. 2. contra adversar. leg. & Prophet. cap. 7. „ Desiderium peccan- „ di non extinguitur, nisi contrario desiderio „ recte faciendi, ubi fides per dilectionem o- „ peratur, non per jubentem litteram timore „ pœnæ, sed per juvantem spiritum dilectio- „ ne justitiæ. „

105 Nec dicant Adversarii loqui Augustinum de timore pœnæ temporalis.

Contra est, Ep. ad Anastasium 145. n. 4. expresse loquitur de metu gehennæ. „ Qui „ gehennas metuit, non peccare metuit, sed „ ardere: ille autem peccare metuit, qui „ peccatum ipsum sicut gehennas odit. „ Item

tem ferm. 15. de verb. Apoftoli cap. 6. „Hoc „ intereft inter timorem tuum, timoremque „ latronis, quod latro timet leges hominum, „ & ideo facit latrocinium, quia fperat fe fal- „ lere leges hominum. Tu autem ejus poe- „ nas times, quem fallere non potes; nam fi „ fallere poffes, quid non feciffes? ergo con- „ cupifcentiam tuam malam non amor tollit, „ fed timor premit. „ Igitur timore gehennæ non tollitur voluntas peccandi, faltem conditionata, fed tantum cohibetur, ne in actum erumpat.

Nec dicant Adverfarii iterum Auguftinum 106
& Patres loqui de illa attritione, feu timore, quæ habet annexam fervilitatem, feu pofitivum hunc actum: peccarem fi infernus non effet.

Contra eft. Juxta Patres quælibet attritio fervilis, ubi omnis amor juftitiæ exulat, habet femper annexum, faltem *concomitanter*, hunc affectum conditionatum; nam idem Auguftinus in Pfalm. 67. ait: *Timendo qui facit, ferviliter facit.* Et lib. de natura & grat. cap. 57. „ Qui timore fupplicii fe fentit abftinere ab o- „ pere peccati, nondum liber, nec alienus eft „ a voluntate peccandi. - - in ipfa enim vo- „ luntate reus eft, qui mallet, fi fieri poffet, non „ effe, quod timeat, ut libere faciat, quod oc- „ culte defiderat. „

Prob. antec. II. Serviliter attritus fe ha- 107
bet ut mercator, qui exorta tempeftate projicit merces in mare, ne naufragium & vitæ jactu-

jacturam patiatur, qui interpretative habet hunc affectum conditionatum, servandi merces, si naufragium non foret, quia solo timore naufragii eas dimittit. Sic etiam peccator, qui solo regitur motivo pœnæ, habet interpretative hanc voluntatem conditionatam, non dimittendi peccatum, nisi ei statuta foret a Deo æterna poena; si enim non ita foret affectus, deberet ex ipsa ratione offensæ odisse peccatum, & timere culpam: quod non nisi a timore initiali proficiscitur. Hinc iterum AUGUSTINUS serm. 159. de verb. Apost. cap.6. taliter attritum comparat cum leone & latrone, qui a præda prohibiti metu armorum non ideo deponunt omnem animum prædandi. serm. 178. de verb. Apost. c. 9. Comparat cum Lupo a pastoribus prohibito. tract. 9. in Joan. Comparat cum muliere, quæ licet amet adulterium, temperat tamen ab actu, ne deprehensa a marito trucidetur. Et conc. XI. in Psalm. 118. ait: „ Qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit: „ quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam „ mallet non esse, non est amicus, sed potius „ inimicus, nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate.„ Sic etiam GREGORIUS M. Lib. III. de cura pastorali admonit. 14. „ Admonendi sunt, ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia „ perhorrescant, neque in hoc suppliciorum ti- „ more permaneant; scriptum quippe est: *u- „ bi Spiritus Domini, ibi libertas.* Si ergo ad-

„ huc

„ huc a prava actione formidata pœna pro-
„ hibet, profecto formidantis animam nulla
„ ſpiritus libertas tenet; nam ſi pœnam non
„ metueret, culpam procul dubio perpetra-
„ ret. Bona pro ſemetipſis amanda ſunt, non
„ pœnis compellentibus exequenda. Nam
„ qui propterea bona facit, quod tormento-
„ rum mala metuit, vult non eſſe, quod me-
„ tuit, ut audacter illicita committat. „

Prob. antec. III. Si attritio excluderet 108
voluntatem peccandi, deberet etiam excludere omiſſionem primi mandati: atqui hanc non excludit: ergo. *min.* prob. Vel enim hoc fieret per actum *elicitum* a timore, vel *imperatum:* neutrum: ergo. non per actum *elicitum;* nam actus elicitus timoris procedit ex motivo formali timoris: atqui ex motivo formali timoris non poteſt excludi omiſſio amoris. Ergo. *min.* prob. ex motivo formali timoris non poteſt obſervari dilectio Dei; cum motivum formale amoris ſit bonitas Dei, non juſtitia ejus vindicativa: ergo nec ejus omiſſio poteſt excludi ex motivo formali timoris; cum contrariorum eadem ſit ratio. Nec per actum *imperatum;* nam ſi actus a timore ſervili imperatus excluderet omiſſionem primi mandati, ſeu, ſi timor imperaret actum dilectionis, quo ſolo excluditur omiſſio primi mandati, tunc actus ille imperatus deberet voluntatem non omittendi dilectionem excludere ex motivo ſibi proprio, & a motivo imperantis diſtincto; ſecus non eſſet niſi actus timoris: atqui actus ab attritione ſervili imperatus non

exclu-

excludit voluntatem omittendi primum mandatum ex motivo ſibi proprio. Ergo. *min.* prob. Non poteſt aſſignari motivum aliud actui imperato proprium excludens omiſſionem primi mandati, niſi vel motivum amoris filialis, vel timoris: atqui metus gehennæ non imperat motivum amoris filialis, vel timoris initialis: motivo autem timoris ſervilis non excluditur voluntas omittendi primum mandatum; cum illud obſervari nequeat ex motivo timoris: ergo nec per actum *elicitum,* nec *imperatum* excluditur voluntas omittendi primum mandatum.

109 *Prob. antec. IV.* Timor gehennæ etiamſi excludat *actum* peccati, non excludit tamen *voluntatem* peccandi *habitualem*, *conditionatam*, & *interpretativam* ita quidem, ut ſi gehenna non foret, attritus a peccando non ceſſaret. Ergo non excludit omnem peccandi voluntatem. *Ant.* Prob. hæc eſt natura timoris, ut quod metu fit, vellet quis potius non fieri: ceu patet in mercatore projiciente merces. Idem S. Thomas I. 2dæ Q. 6. Art. VII. ad 2. rationem afferens, cur metus contrariam non expellat voluntatem, eam vero expellat concupiſcentia, ſic ait: „ Qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, „ quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur . . . Et ideo, quod per metum agitur, quodammodo eſt involuntarium . . . „ timidus agit contra id, quod etiam nunc „ ſecundum ſe vult.„ Et ibid. Q. CVII. Art. I. ad 2. „ Qui timore pœnæ ab aliquo peccato

„ abſti-

„ abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas a „ peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus, „ qui amore juſtitiæ abſtinet â peccato: & „ propterea hæc lex nova, quæ eſt amoris, di- „ citur animum cohibere peccandi: „ cum lex timoris tantum cohibuerit actum peccati.

Prob. Reſolutio II. alia ratione. Ad juſti- 110
ficationem, etiam intra ſacramentum acquirendam, neceſſarium eſt odium peccati, & vera ad Deum converſio, ut certum eſt ex textibus ſcripturæ innumeris: ſed qui ſolum eſt *ſerviliter* attritus, nec odit peccatum, nec *vere* ad Deum convertitur; ergo. *min.* prob. odium mali provenit ex amore boni oppoſiti: ergo qui peccatum tantum odit, quia infligit pœnam æternam ſenſus, hoc facit ex amore ſui; ſibi enim pœnas infligi timet, conſequenter ad ſe convertitur talis pœnitens, non autem ad Deum: ſecus deberet deteſtari peccatum ex ratione culpæ & offenſæ, quod non niſi ex amore juſtitiæ provenit, ut ait AUGUSTINUS Epi. 144. *Tantum quisque odit peccatum, quantum juſtitiam diligit.* Item ſerm. 348. n. 4. nov. edit. olim ſerm. 214. de temp. ait de metu quocunque etiam inferni. „ Timor propterea „ pungit animam, ne amittatur aliquid, quod „ in creatura diligitur, vel ipſa ſalus & re- „ quies corporalis, aut tale aliquid poſt mor- „ tem. Propterea etiam timentur & apud „ inferos pœnæ, & dolores ac tormenta ge- „ hennarum. „ Confirmatur *min.* timor conſiſtit in fuga mali ex amore boni oppoſiti: ergo

go qui dolet de peccato NB. ex *ſolo* timore pœnæ ſenſus, fugit peccatum ex amore ſui, ne patiatur gehennam: atqui dolor de peccato propter ſe, & non propter Deum offenſum, utique non eſt converſio ad Deum, nec ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem. Plura argumenta recurrent §. ſequenti, ubi probabitur neceſſitas amoris initialis.

111 Objic. contra II. Reſolut. Concil. Trid. ſeſſ. XIV. cap. 4. docet, attritionem non tantum eſſe motum bonum, & ſupernaturalem, ſed eam etiam intra ſacramentum ad juſtificationem *diſponere:* atqui verbum *diſponere* intellexerunt de diſpoſitione *proxima*, ſeu pro τὸ *ſufficit*. Ergo. *min.* prob. Concil. attritioni intra ſacramentum majorem vim adſcribit, quam extra ſacramentum: atqui extra ſacramentum jam diſponit *remote:* ergo intra ſacramentum *proxime*, conſequenter *ſufficit*.

Resp. I. Niſi jam ex declaratione Alexandri VII. & Benedicti XIV. SS. PP. abunde conſtaret, concilium nihil voluiſſe hac in materia decidere, multo fortiora ex eodem Concilio pro noſtra ſententia formari poſſent, & paſſim ab auctoribus noſtræ ſententiæ formantur argumenta.

℞. II. neg. *min.* quod enim Concilium Tridentinum noluerit per verbum *diſponere*, intelligere, *ſufficit*, conſtat ex hiſtoria Concil. Trid. a Cardinale Palavicino Juſſu Alexandri VII. ex Archiviis Romanis edita, qui teſtatur, decretum de attritione ita prius con-

conceptum fuiſſe: „ Attritionem &c. eſſe Dei „ donum &c. quo poenitens adjutus cum ſi„ ne dilectionis in Deum motu eſſe vix queat „ &c. ad Dei gratiam facilius impetrandam „ diſponitur. Sed cum Joan. Æmilianus Hi„ ſpanus Tudetanus Epiſcopus monuiſſet, fal„ ſo dici, hujusmodi dolorem ſine amore vix „ unquam concipi poſſe, de ſufficientia autem „ attritionis variarent auctores, omiſſis iis ver„ bis decretum, ut nunc eſt, reformatum fuit. „ In forma ad prob. *min.* nego *maj.* tantum enim declarare voluit contra Lutherum, attritionem ex metu gehennæ conceptam, eſſe actum bonum, nec facere hominem peccatorem, ut volebat Lutherus. Hinc dicitur, eam ad gratiam diſponere. Aut etiam dici poteſt, attritionem extra ſacramentum *remotiſſime*, intra autem *remote*, nunquam vero *proxime* diſponere. Extra ſacramentum enim diſponere poteſt ad amorem initialem, qui, niſi ſit intenſus, non juſtificat. Attritio vero intra Sacramentum etiam diſponere poteſt ad amorem initialem, qui quamvis debilis ſit, cum ſacramento tamen juſtificat. Atque ſic non nihil propinquius intra ſacramentum diſponit attritio.

OBJIC. 2. Attritio ſervilis eſt materia ſa- 112
cramenti. Ergo diſponit proxime, & ſufficit ad juſtificationem. *Antec.* prob. Concil. Trid. cit. ſeſſ. cap. 4. contritionem in genere, quam dicit ſacramenti materiam, definit, quod ſit dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero: dein eam

ſubdividit in *perfectam* & *imperfectam*, quam vocat *attritionem*. Jam ſic: quod participat definitionem contritionis, quæ eſt materia ſacramenti, illud eſt etiam contritio, & materia ſacramenti; atqui attritio participat definitionem contritionis, quæ eſt materia ſacramenti, ergo attritio eſt materia ſacramenti. *min.* patet tum ex collatione definitionis, tum ex eo; quia contritio tanquam genus dividitur in ſpecies contritionis perfectæ, & imperfectæ. Atqui notum eſt ſpeciem participare definitionem generis. Ergo.

II. Niſi concilium voluiſſet declarare attritionem in ſacramento ſufficere, tunc non ſtetiſſet promiſſis in præfatione ſeſſ. XIV. factis, tradendi pleniorem & exactiorem definitionem de doctrina Pœnitentiæ: at hoc dici nequit: ergo &c.

Resp. ad I. *nego antec.* ad prob. Dico, Concilium loqui de contritione *vera* ex debito motivo elicita, quæ *vere* excludit voluntatem peccandi, quæ quovis tempore fuit neceſſaria: non autem de alia. De attritione non loquitur tanquam *parte ſacramenti*, ſed unice definit, eſſe actum bonum, non facere hominem peccatorem, ſed diſponere. Alii reſpondent, *attritionis* nomine a concilio intelligi illam *contritionem imperfectam*, quæ fit ex motivo charitatis, ſed adhuc debili; Nam in exemplum attritionis adducit dolorem Ninivitarum, qui certe non fuit ſine amore; ſecus non fuiſſent miſericordiam conſecuti, cum attritio ſervilis extra ſacramentum, quale Ninivitæ non

habe-

habebant, non reconciliet hominem Deo. In forma *diſting. maj.* quod participat definitionem *veræ* contritionis, ex legitimo motivo elicitæ, *concedo.* ſecus, *nego.* quod enim attritio, ut ſic ſumpta, non ſit *vera* contritio, patet ex eo; quia Concil. Trid. ait, attritionem, *ſi voluntatem peccandi excludat*, eſſe actum bonum &c. ergo eoipſo ſupponit, dari quamdam attritionem, quæ voluntatem peccandi non excludit. Talis autem utique erit quidem attritio, ſed non materia ſacramenti.

Respond. ad II. Concil. Trid. promiſit tradere exactam doctrinam contra errores hæreticorum, in materia fidei: non autem circa quæſtiones in ſchola controverſas, cujusmodi eſt hæc de ſufficientia attritionis.

Objic. III. Attritio ſervilis eſt actus bo- 113
nus & diſpoſitivus ad juſtificationem intra ſacramentum: ergo eo ipſo excludit voluntatem peccandi.

II. *Timor Domini expellit peccatum* Eccli. I. *Odit malum.* Prov. VIII. *In timore Domini declinatur a malo.* Prov. XVI. & ſimilia paſſim leguntur in S. Scriptura: ergo excludit voluntatem peccandi.

III. Trid. Concil. dicit, attritionem eſſe donum Dei, ſi voluntatem peccandi excludat. Ergo ſupponit, ordinarie voluntatem peccandi non involvi in ea.

IV. Si involveret voluntatem peccandi conditionatam, ipſe actus eſſet inhoneſtus: ſed hoc eſt damnatum. Ergo.

Respond. ad I. *distinguo conseq.* Ergo excludit voluntatem peccandi, ab ipso actu attritionis, *conc.* ab animo attriti, *nego.* Item: excludit voluntatem peccandi actualem, formalem, & explicitam, *conc.* conditionatam, habitualem, & interpretativam, *nego.* Iterum: excludit efficaciter, *nego*, inefficaciter, *conc.* Ipse actus attritionis non involvit voluntatem peccandi, sed eam in animo attriti concomitanter compatitur; cum enim attritus tantum feratur in poenam, seu in peccatum ob metum poenae, illud non efficaciter & positive detestatur, sed interpretative paratus est peccare si poena non esset.

Respond. ad II. Isti, aliique textus loquuntur vel de timore casto, filiali, aut saltem initiali: non autem de servili: aut si de hoc, tantum probatur, eum remote *disponere* ad justificationem.

℟. ad III. Si voluntatem peccandi excludat ex alio accedente motivo, *conc.* ex motivo proprio timoris, *nego.* si enim timor per se excluderet voluntatem peccandi, tunc concilium ridicule adhibuisset sensum conditionatum: *si excludat.*

℟. ad IV. neg. sequelam *maj.* actus enim attritionis in se bonus est, sed habet annexam concomitantem malitiam omissionis habitualis, quae tamen actum ipsum non inficit. Ita S. Thomas in III. D. XXXIV. Q.II. A.2. quaestiunc. I. ⊙ „Dicitur aliquis aliquid facere . . . „ timore servili, quod facit coactus metu poe-

„ nae,

„ næ, & per consequens cum tristitia: mal„ let enim non facere, nisi poena timeretur. „ Patet igitur, quod servilitas ex illa parte con„ sequitur timorem, quo ad aliquid facien„ dum vel omittendum inclinat. Hæc au„ tem inclinatio non intrat essentiam timoris, „ sed est effectus ejus. Unde servilitas est „ accidens timoris, & non intrat essentiam „ ejus . . . unde servilis timor secundum „ essentiam suam est a Spiritu sancto . . . „ sed illa servilis conditio, quæ includit vo„ luntatem privationis justitiæ; non est a Spi„ ritu sancto. „ Et ibid. ad 1. „ Quædam „ sunt a Spiritu sancto, quæ non sunt cum „ Spiritu sancto, sicut fides informis, & timor „ servilis, quod quidem non est, nisi propter „ defectum *concomitantem*. „ Hæc S. Th. Ejusmodi autem actus, qui habent omissionem habitualem concomitantem, dantur innumeri, maxime in peccatore; qui cum sit habitualiter aversus a Deo, non potest actum aliquem virtualiter in Deum referre: hinc actus etiam bonus illam habitualem omissionem relationis in Deum ut ultimum finem, & præcepti primi, concomitantem habet, quin actum ipsum inficiat, ut Thomistæ docere debent. Sic etiam, qui ob quamdam negligentiam, non tamen ex fine studendi, omittit sacrum, illo autem tempore, quo missæ audiendæ præceptum obligaret, domi studet, vel orat: studium hoc casu, vel oratio est bona; quamvis habeat concomitantem malitiam omissionis, quæ actum tamen non inficit; cum actus ille supponitur

non fuiſſe motivum omiſſionis. Et ita de aliis.

114 Objic. IV. Juxta ſanctos Patres timor hominem a peccato avocat: ergo ad juſtificationem diſponit:

II. Sancti Patres tres ſtatuunt ſalvandorum ordines, primum ſervorum, qui timore pœnæ a peccando arcentur. Alterum mercenariorum, qui ſpe præmii incitantur ad virtutem. 3. Filiorum, qui ſolo Dei amore bene operantur. Ergo ſolus timor gehennæ ſufficit.

III. S. Augustinus de catechizandis rudibus cap. 17. Tria diſtinguit hominum genera, qui chriſtianam fidem amplectuntur: quosdam, qui hominibus placendi cupidine, alios, qui felicitatis terrenæ intuitu, alios qui pœnarum æternarum metu Baptiſmum ſuſcipiunt, de duobus prioribus pronuntiat, non eſſe veros Chriſtianos, affirmat autem de poſterioribus. Unde ſic infertur, attritio ſufficit ad Baptiſmum: ergo etiam ad pœnitentiæ ſacramentum. Conſequentia eſt evidens; quia etiam ad Baptiſmum in adulto requiritur vera pœnitentia: conſequenter cum ſola attritione vera erit.

IV. S. Bernardus ſerm. 8. de diverſ. „ Jam incipit eſſe ſub domino, qui tanquam „ ſervus carcerem timet, & metuit, ne ſubi„ gatur pœnis, in quo ſane ſtatu converſio eſt, „ exitusque a ſæculo:„ ergo attritio eſt vera

con-

converſio, conſequenter ſufficit ſaltem cum ſacramento.

Respond. ad I. D. avocat hominem a peccato externo, actuali, *conc.* a peccandi voluntate: *ſubdiſtinguo.* actuali, *conc.* habituali, *nego.* Iterum: avocat remote, in quantum eſt occaſio alterius boni affectus initialis, *conc.* proxime, *nego.*

Resp. ad II. Patres illi non loquuntur de præparatione ad ſacramentum, ſed de vario Chriſtianorum ſtatu generatim; non, quod in primo ſalutem conſequantur, ſed quod remote ad ſtatum filiorum, qui ſoli ſalvantur, promoveri ſoleant: haud equidem ex vi & motivo proprio, ſed occaſionaliter.

Resp. ad III. S. Augustinus tantum vult, quod priores illi non ſint veri Chriſtiani, quia motivo non bono ducuntur, poſtremi vero bono, & chriſtiano, licet nondum motivo ad juſtificationem ſufficienti Baptiſmum ſuſcipiant. De illo enim, qui timore gehennæ adductus Baptiſmum petit, ait: *eo perveniet, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam.*

Respond. ad IV. *diſting.* eſt converſio ad Deum remota, & inefficax, *conc.* proxima, efficax, ſufficiens, *nego.*

Objic. V. Eſt commune axioma theo- 115
logorum, attritum vi ſacramenti fieri contritum, & attritio fit contritio in ſacramento. Ergo ſufficit attritio cum ſacramento.

II. ALEXANDER VII. in decreto citato: eam ſententiam, quæ attritionem ſufficere propugnat, vocat *communiorem:* ergo eſt etiam probabilior, conſequenter tutiſſima.

RESPOND. ad I. *diſt.* attritus *initialiter* fit contritus vi ſacramenti, *conc.* attritus *ſerviliter*, *nego.* ſenſus eſt, eum, qui habet contritionem ex motivo quidem amoris perfectam, ſed propter intenſionem adhuc debilem & imperfectam, in ſacramento acquirere gratiam habitualem, quæ contritionem perficit & informat; non autem quod ſerviliter attritus gratiam juſtificationis conſequatur; cum ſacramentum non ſuppleat motivum neceſſarium, quod attritioni ſervili deeſt. Hinc attritio ſervilis, utpote ſpecie diſtincta a contritione, nunquam in hanc tranſit, niſi ex eodem motivo eliciatur. Itaque attritio, quæ non ſpecie, ſed gradu a contritione differt, contritio fit.

℟. ad II. Dicitur communior, in ſcriptis theologorum illius temporis, *conc.* in Eccleſia, *nego.* Non autem inde ſequitur, veram eſſe, aut intrinſece probabiliorem; Nec enim ex auctorum numero, ſed rationum pondere veritas ſententiæ deſumi debet: ſecus veritas conſilio malignantium obrui poſſet, ſi ſolus numerus ſufficeret, quod de adverſariis dictum nolim. Dein negari nequit, noſtram ſententiam ante Tridentinum per XVI. ſæcula non ſolum communiorem, ſed univerſalem & unicam fuiſſe: non poteſt autem Recentiorum exiguus reſpective numerus, ipſa novitate &

laxita-

laxitate ſuſpectus, venerandæ veterum Patrum auctoritati, ne dicam, veritati præjudicare. *Cedat ergo novitas vetuſtati!*

Resolutio III. Opinio docens ſufficien- 116
tiam attritionis mere ſervilis, non eſt practice tuta.

Prob. I. Illa ſententia non eſt practice tuta, quæ ſine neceſſitate pœnitentes exponit periculo excluſionis a gratia Juſtificationis in Sacramento, & quod periculum nequidem removetur per dictamen reflexum probabiliſtarum, aut ignorantiam invincibilem: atqui talis eſt opinio adverſariorum. Ergo non eſt practice tuta. *maj.* eſt evidens: *min.* prob. Illa opinio pœnitentes exponit probabili periculo, quæ poteſt eſſe falſa; tunc enim hoc ipſo adeſt periculum non recipiendi gratiam juſtificationis, quando probabile eſt, gratiam non acquiri: atqui ſententia adverſariorum poteſt eſſe falſa. *ergo. min.* prob. quando ſententia adverſariis contradictorie oppoſita eſt vere probabilis, tum ex principiis intrinſecis, quæ prudentem poſſunt movere aſſenſum, tum ab extrinſeco, nempe numero & auctoritate Doctorum inſignium, tunc adverſariorum opinio poteſt eſſe falſa; quando enim contradictionis pars una vera eſſe poteſt, tunc altera falſa eſſe poteſt: atqui ſententia adverſariis oppoſita probabilis eſt tum ab in - tum ab extrinſeco, quod a nullo ſanæ mentis negari poteſt; maxime poſt decretum Alexandri VII., quo prohibetur, ne alterutri

opinioni inuratur censura, qualis foret sententiam nostram dicere *improbabilem. Ergo* adversariorum opinio potest esse falsa. Prob. altera pars *min.* primae. principium reflexum probabilistarum tunc forte procedere posset, quando agitur de sola honestate actionis, non autem ubi agitur de valore & reverentia Sacramenti, aut in materia justitiae; atqui hic agitur de valore Sacramenti; cum enim dolor ad justificationem intra Sacramentum requisitus sit materia essentialis Sacramenti, non potest judicium reflexum efficere, ut dolor, qui probabiliter non sufficit, constituat materiam Sacramenti necessariam. Sic qui ex judicio reflexo, aut ignorantia invincibili judicaret, aquam rosaceam esse materiam Sacramenti: si tamen a parte rei & coram Deo aqua rosacea non est naturalis, nec materia valida, tunc illa per nullum dictamen reflexum, per nullam ignorantiam erit pars, nec ullo casu Baptismus valebit. *Ergo* si forte attritio servilis non sit dolor sufficiens (potest autem esse ut non sufficiat; cum probabilis sit opinio negantium) nullum judicium reflexum, nulla etiam invincibilis ignorantia efficere potest, ut fiat materia valida Sacramenti validi.

117 *Prob. II.* Illa opinio non est practice tuta, quae sine ulla necessitate tenet *incertum*, dimittit *certum;* haec enim est constans SS. Patrum regula, in dubio & periculo aeternae salutis eligendum esse tutius, seu id, quod certo

certo tutum eſt, relicto altero, quod, cum incertum ſit, periculum animæ certum poteſt inducere. Sic AUGUSTINUS lib. I. de Baptis. cap. 3. loquens de eo, qui dubitat an apud donatiſtas valeat Baptismus, *graviter*, ait, *peccaret, vel eo ſolo, quod in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponat*, atqui adverſariorum opinio ſine ulla neceſſitate in periculo ſalutis æternæ tenet incertum, dimittit certum: ergo. *min.* prob. certum eſt, contritionem, ex motivo charitatis elicitam, intra Sacramentum ſufficere, ut nemo negat: econtra incertum eſt, attritionem ſine omni actu dilectionis ſufficere; nam ridendi ſunt potius, immo miſerendi, quam refutandi, qui jactant cum non nemine, opinionem adverſariorum eſſe *moraliter certam;* cum novitia ſit, ante Concilium Tridentinum inaudita, a pluribus Patribus, qui Tridentino aderant, ore & calamo impugnata, poſtea a melioris notæ theologis, quorum longiſſimum Catalogum recenſet Illuſtris Carolus a PISPORT Benedictinus fuldenſis, confutata, imo a primis attritionis ſervilis impugnatoribus ut *incerta* in terminis agnita, qui propterea volunt, monendos eſſe ſemper fideles, ut veram contritionem e motivo dilectionis Dei eliciant, non obſtante ſpeculativa probabilitate de ſufficientia attritionis. Ergo. &c.

Prob. III. Illa opinio non eſt practice 118
tuta, quæ Sacramentum exponit periculo nulli-

nullitatis, & pœnitentes periculo non acquirendæ gratiæ; damnata enim fuit ab INNOCENTIO XI. illa probabiliſtarum propoſitio: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem, de valore Sacramenti relicta tutiore:* atqui talis eſt adverſariorum opinio, ut ex dictis colligitur, & patet ex eo; quia noſtra eſt tutior, cum certum ſit, contritionem, ex amore initiali elicitam, eſſe materiam validam Sacramenti, & ſufficere ad juſtificationem: econtra incertum ſit, attritionem ſervilem ſufficere. Non eſt igitur tutum cum ſola attritione ad Sacramentum accedere.

119 RESPONDENT Adverſarii, propoſitionem ab INNOCENTIO damnatam intelligi debere de miniſtro, qui confert Sacramentum, non autem de ſubjecto: Item de opinione, quæ eſt tantum *probabilis*, non autem de ea opinione, quæ ſit *probabilior*, immo *moraliter certa*, cujusmodi eſt adverſariorum. Ac denique ſententiam noſtram de neceſſitate amoris eſſe quidem tutiorem, non tamen *adverſative*, quaſi adverſariorum opinio non eſſet ſimpliciter & poſitive tuta; cum velut probabiliſſima, & *plus quam moraliter certa* non comprehendatur ſub damnatione, prout Martinus ESPARZA, unus e conſultoribus Romanis, qui damnationi prædictæ propoſitionis intererat, in Belgium reſcripſit; cum inſuper, ut non nemo loquitur, *digna* ſit, *cui ſalus animæ non tantum in vita, ſed etiam in extremo illius diſcrimine committatur.*

CON-

CONTRA eſt I. Sacramentum periculo nullitatis exponere eſt irreverentia erga Sacramentum, conſequenter ſacrilegium contra virtutem Religionis: ſacrilegium autem evitare non ſolum debet miniſter, ſed etiam ſubjectum; maxime ubi ipſum ſubjectum ponit materiam Sacramenti: Certe enim in quolibet alio Sacramento, qui illud ſcienter ob ſuam indiſpoſitionem ſuo privat effectu, ſacrilegium committit: quod ipſe VASQUEZ, cujus tamen hæc eſt reſponſio, fatetur de pœnitente, qui attritione ſola, taliter cognita, ſe exponit periculo, Sacramentum effectu ſuo privandi. 120

Contra eſt II. Probabilitas major vel minor non reddit magis vel minus certam Sacramenti materiam, conſequenter extra caſum neceſſitatis, quando haberi poteſt materia certa, uti in caſu noſtro haberi poteſt, nunquam tutum eſt, ponere materiam dubiam: attritio autem ſervilis tamdiu erit materia dubia, quamdiu noſtra ſententia manet probabilis. 121

CONTRA eſt III. Adverſariorum opinionem eſſe probabiliorem, etiamſi largiri vellem (quod abſit) nemo tamen, niſi adverſarii, dicit moraliter certam, quod negamus omnes. Tunc enim opinio quædam eſt moraliter certa, quando prudens in contrarium non ſupereſt motivum. Atqui Adverſarii citra injuriam & cenſuram, quæ ab iis ferri nequit, negare non poſſunt, prudens ſupereſſe dubium 122

bium contra attritionis sufficientiam, nisi omnes nostros auctores imprudentiæ arguere velint. Si enim nostra sententia probabilis non est, tunc nulla jam sub sole probabilis erit: si autem probabilis est nostra, adversariorum incerta sit, evidenter sequitur. Verbo. probabile est, adversam opinionem esse falsam: ergo certum est, non esse tutam.

123 Contra est IV. Opinio adversariorum non est simpliciter tuta, ergo. prob. *antec.* fatetur quidam vir clarissimus, cujus nomini parco, nostram esse *tutiorem:* ergo contradictorie opposita non est *absolute tuta.* *Conseq.* prob. Inter propositiones contradictorie oppositas, quarum una vera est, altera necessario est falsa: atqui versamur hic in propositionibus contradictorie oppositis, quæ sunt istæ: tutum est, ponere materiam Sacramenti certo sufficientem, cujusmodi est contritio ex motivo amoris initialis. Altera: tutum est, ponere materiam Sacramenti non certo sufficientem, uti est attritio servilis. Prior certa est & vera, fatentibus omnibus. Ergo posterior necessario falsa; certum est enim, attritionem non esse materiam certam, quia probabile est eam non sufficere.

124 Contra est V. Quod adversariorum opinio sit *plus quam moraliter certa*, nec comprehendatur sub damnatione Innocentii, scripsit Esparza: quid tum? scribit pro domo sua; cum ipsemet fuerit e numero laxiorum probabilistarum, non hoc declaravit Pontifex.

Aut

Aut ad ſummum ſequitur, non eſſe *explicite* & in terminis damnatam, bene autem illative & comprehenſive; nam *dictum de omni, dictum de quolibet contento ſub omni.*

Contra eſt VI. Hanc opinionem dignam 125
eſſe, *cui ſalus animæ in vita & articulo mortis committatur*, nemo forte ante virum illum clariſſimum aſſeruit. Primi opinionis hujus inventores & propagatores, quamvis eam *ſpeculative veram* exiſtimaverint, faſſi ſunt tamen, non eſſe *certam*: hinc monuerunt, poenitentes a confeſſariis hortandos eſſe ad veram contritionem, quod ipſum præcipit Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum. Monuerunt, ut ſaltem in articulo mortis eliciat poenitens actum charitatis perfectæ. Monuerunt, ut etiamſi ſola attritione juſtificatus fuerit poenitens, impleat tamen ſpeciale præceptum virtutis poenitentiæ per actum poenitentiæ reparando jus divinum peccato læſum, quod non niſi actu charitatis fieri poſſe exiſtimabant. Horum omnium auctorum textus citat partim Juenin, partim etiam SS. Benedictus XIV. de ſynodo diæceſana l. VII. cap. 13. temerarium igitur videtur, abſit invidia verbo, hanc opinionem etiam in articulo mortis exercendam ſuadere, quam adeo incertam præcipui illius Patroni fatentur. Per omnia Lectores rogo, ne hanc opinionem vel ipſi in praxi ſequantur, aut ſequendam aliis ſuadeant; probabile eſt eſſe falſam, ergo certum eſt non eſſe tutam.

Objic.

126 Objic. Contra III. Resolut. Illa sententia est practice tuta, quam docent viri doctrina & probitate insignes; cum enim prudentia emineant, censendum est, eos motivis gravibus fuisse persuasos. Cum probi sint, non sunt arguendi, quod pœnitentes velint ad peccatum vel periculum inducere. Atqui talis est sententia adversa: ergo.

II. Si tuta non foret, non posset confessarius absolvere pœnitentem, quem scit solum attritum: atqui hoc falsum videtur; nam si pœnitens judicet suam opinionem probabilem, debet confessarius se accomodare conscientiæ ejusdem.

III. Juventus & plebs hac doctrina in Catechesi passim solet imbui: atqui non est præsumendum, Episcopos toleraturos hanc instruendi rationem, nisi ipsis tuta videretur. ergo &c.

Respond. ad I. Dist. *maj.* quam docent solum speculative probabilem &c. *nego*, quam docent practice probabilem, illa est tuta, *conc.* Constat enim ex n. 98. primos attritionis fautores candide professos fuisse, hanc opinionem recentem posse esse falsam, ideoque hortandos esse pœnitentes ad veram contritionem. Si ex sequacibus quidam fuere audaciores, illos non judicabo: licebit mihi tamen dicere, non esse attendendos. Non qua itur via lata, & spatiosa eundum est: sed *arcta est via, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Christus viam ad cælum *arctam* & *difficilem* prædicat. Casui-

Casuistæ amplissimam, & facillimam jactant. Quis sequendus erit?

℞. ad II. *conc. maj. neg. min* prob. *dist.* Confessarius debet se accommodare conscientiæ pœnitentis, si *recta* fuerit, *conc.* si *erronea: subdist.* si invincibiliter talis, & quidem de præterito, ubi agitur solum de honestate actionis, *conc.* si vincibiliter, aut etiam invincibiliter talis de præsenti, ubi agitur de valore Sacramenti, ubi materiæ incertitudo non suppletur per probabilitatem speculativam, aut dictamen reflexum, *nego.*

℞. ad III. Nego, plebem passim sic instrui. Utique communis & antiquissima pœnitendi formula, quæ illi traditur, hæc est: *doleo ex toto corde, quod Deum meum summum bonum offenderim: propono non amplius peccare.* Si qui aliter docent, viderint illi, viderint Episcopi, qui rationem reddent Principi postorum de ovibus sibi concreditis. Rituale Romanum præcipit confessariis, ut pœnitentes ad contritionem efficacibus verbis adducere conentur: hoc ipsum Catechistæ sibi dictum putent. SS. D. N. Clemens XIII. anno MDCCLXI. Epistolam dedit encyclicam ad omnes Episcopos, eosque monuit, ut loco recentiorum libellorum catecheticorum populum instrui faciant secundum catechismum Romanum, jussu Concilii Tridentini compositum, quem etiam suis Clericis passim hodie Episcopi præscribere solent.

Ingratum haud fore Lectori confido, si hoc loco subjungam epistolam, qua Eminen-

tissimus p. m. Cardinalis Tamburinus occasione Dissertationis cujusdam, de attritionis servilis sufficientia, pro sua clementia dignari me voluit, in hæc verba:

Admodum Reverende Pater.

Libellum, quem misisti, non sine maximo cordis mærore perlegi: Animadverti enim auctorem, quodque magis dolet, monachum ordinis nostri, rescissis penitus scholæ limitibus in quæstione summi momenti tum Evangelii præceptis, tum Sacrosanctæ tridentinæ Synodi, nec non sancti Augustini auctoritatibus manifeste abuti. Quid audacius effutire poterat, quam locum usurpare Gregorii IX. piæ memoriæ Pontificis aliud agentis, illumque in rem suam detorquere, ac si sententiæ, quam Bertius summus certe theologus luculentissimis testimoniis innixus tuetur, *dogmatis temerarii & perversi* nota aptari posset, ac si tot alii præclarissimi viri, qui eam adstruunt, non inter Theologos, sed inter *Theophantos* accenseri debeant. Quid in quæstione hujusmodi maxima hactenus animorum contentione agitata afferre poterat, quod magis novitatem saperet periculi plenam, quam propositionem suam ita concinnare, ita obtrudere, ut veluti pro moraliter certa, & in praxi tutissima, & digna insuper, cui animarum salus etiam in extremo vitæ discrimine committatur, recipiatur, & credatur. Legat, quæso, auctor pacata mente, sepositisque præjudiciis tum Concilii Triden-

dentini textum, tum Auguſtini opera, planeque, ut confido, a ſententia diſcedet, cognoſcetque, quod ſolidis argumentis Lovanienſes, quos Bertius ſecutus eſt, ſuam firmaverint hac de re opinionem, quæ profecto Romæ non caret ſtrenuis defenſoribus, ut facile quisque intelliget ex libro abſolutiſſima doctrina referto, quem hic edidit doctiſſimus *Epiſcopus* Petrus Lambertus le Drou. Denique caveat in primis auctor libelli, ne dum proximum a dilectione erga Deum manibus pedibusque abſtrahere conatur, etiam a bonis illis abſtrahat, quæ ipſe repromiſit diligentibus ſe. Hæc habui, quæ tuis reſponderem humaniſſimis literis, ex quarum lectione zelum, doctrinam, pietatemque tuam quo magis ſum admiratus, eo propenſius in te meam voluntatem & amorem incrementum ſuſcepiſſe ſenſi. Vale.

Romæ 4. Martii 1758.

Ad officia paratus

D. F. Cardinalis Tamburinus.

§. III.

De Contritionis perfectæ neceſſitate.

Contritionis perfectæ nomine hic intelligitur ille dolor, qui ex motivo charitatis Dei peccata deteſtatur, quatenus ſunt offenſa Dei, poteſtque eſſe duplex: una, quæ pro- 127

cedit ex gratia sanctificante, & habitu Charitatis, adeoque justificationem potius subsequitur, quam efficit, altera quæ procedit ex actu Charitatis, eoque vel initiali & debili, vel debito fervore *intenso*, & *extenso*, ut infra explicabitur. Quod primam attinet, plurimi fuere inter veteres theologi, quos allegat WITASSE, qui contritionem a gratia sanctificante, & charitate habituali profectam in Sacramento requirebant, adeoque peccatorum remissionem Sacramenti susceptione præviam esse debere docebant. Quo autem suam doctrinam cum virtute Sacramenti poenitentiæ, & potestate solvendi sacerdotibus concessa conciliarent, in diversa abiere. Alii quidem dicebant, hac contritione peccata ante Sacramentum esse remissa quoad reatum tam culpæ quam pœnæ, sacerdotem postea tantum declarare, pœnitentes fuisse a Deo solutos: utique tamen intuitu *voti* Sacramenti, quod involvebat illa contritio; secus hæc explicatio non posset cum doctrina Ecclesiæ combinari. Alii dicebant, Deum taliter contritos absolvere cum conditione, ut postea ad Sacramentum accederent. Alii denique contendebant, Deum absolvere a reatu culpæ: Sacerdotem vero a reatu pœnæ saltem temporalis.

128 Contritio ex parte motivi, nimirum actuali Charitate perfecta, qua Deus appretiative super omnia diligitur, & gloriæ Dei extrinsecæ promovendæ involvit propositum, potest esse *perfecta* vel *imperfecta*. Perfecta dicitur, si

ſi amor debite ſit *intenſus*, vel *extenſus*. Imperfecta, ſi amor ille ſit debilis, remiſſus, initialis. Pro quo obſervandum: intenſionem poſſe ſpectari vel ex *parte actus*, vel ex *parte virium*. *Intenſio ex parte actus* conſiſtit in quodam gradu fervoris, manente eodem objecto actus, ſicut in naturalibus dantur varii gradus caloris magis vel minus intenſi aut remiſſi. *Intenſio ex parte virium* conſiſtit in efficaci Reſolutione ſuperandi difficultates in objecto reperibiles. *Extenſio* autem *actus* dicit reſpectum ad plures actus amoris vel pœnitentiæ, quod fieri poteſt tripliciter. 1. Dum pœnitens proponit aſſumere plura & efficaciora media pro conſtanter obſervandis præceptis & cavendo relapſu. 2. Dum pœnitens proponit, non ſolum exhibere Deo actus amoris eſſentiales & neceſſarios, ſed etiam accidentales ſeu gratuitos, quærere beneplacitum Dei in omnibus actionibus ſuis. 3. Dum proponit operum bonorum ſtudio Deo ſatisfacere pro injuria juxta ejus arbitrium, & gravitatem delictorum. Hinc colligitur, contritionem poſſe eſſe *imperfectam*, vel ex *defectu intenſionis virium*, dum pœnitens quidem proponit Deum rebus omnibus præferre, non curat tamen de mediis efficacibus, ad id ſervientibus. Cum autem homo ſine gratia hoc propoſitum implere nequeat, ut ex tract. de gratia ſupponitur: gratia autem ſit indebita; hinc ſequitur, hominem debere conari, ut ſuo labore & ſtudio bonorum operum eam a Deo impetret. Qui hoc negligit,

nec proponit, dicitur Deum diligere *affective*, ſed non *effective*, & carere intenſione virium. 2. Contritio ſeu amor Dei poteſt eſſe *imperfectus extenſive*, ſi nimirum iis propoſitis careat, quæ paulo ante ad extenſionem Charitatis requirebantur.

129 Variæ itaque fuerunt, & ſunt de perfecta contritione auctorum ſententiæ. Lutherus docuit, contritionem perfectam nunquam juſtificare, antequam Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiatur; quia actum Charitatis contendebat eſſe effectum juſtificationis, quam adſcribebat ſoli fidei, quem refutat Tridentinum Concil. Seſſ. XIV. cap. 4. his verbis: „ Docet præterea, etſi contritionem hanc „ &c. Estius lovanienſis theologus, quamvis fateretur, contritionem charitate perfectam, de qua loquitur Concil. Trident. hominem Deo reconciliare ante actualem Sacramenti pœnitentiæ ſuſceptionem, id tamen raro admodum contingere exiſtimat: nimirum urgente neceſſitate in articulo mortis, deficiente ſacerdote, ubi votum Sacramenti ſupplet ejus defectum, ſicut fit in Baptiſmo. Addit tamen Estius, apud Juenin legendus, paucos alios caſus rariores extra periculum mortis. Attritionis defenſores pœnitentem contritione qualibet, quamvis debili, dummodo ex motivo charitatis procedat, infallibiliter ante Sacramentum juſtificari arbitrantur. Id quod etiam contendit Epiſcopus Caſtorienſis, & ſummi Pontificis apud Bata-

vos

vos vicarius, ac non nulli alii: qui tamen requirunt actum charitatis in corde *prædominantis*, quod dupliciter intelligi potest; 1. Charitas prædominans sumitur a non nullis pro inclinatione prædominante in appetitu rationali, qua quis vult superare omnes difficultates, quæ occurrunt in domandis pravis passionibus, & observatione mandatorum, in continuo exercitio actuum amoris gratuitorum, & satisfactione compensatoria: quo quidem sensu amor prædominans idem videtur, ac *extensive perfectus* num. præcedente explicatus. 2. Ab aliis constituitur in promptitudine omnium potentiarum ad prædictos actus non solum fortiter, sed etiam alacriter & cum voluptate seu absque difficultate gravi exercendos, prout Augustiniani intelligere videntur. Eorum, qui contritionis perfectæ necessitatem ad Sacramentum requirunt, non nulli docent, sine extensione ex parte actus commensuranda gravitati delictorum, non justificari hominem extra Sacramentum. Alii requirunt certam temporis durationem, quidam ad amorem extra Sacramentum justificantem requirunt intensionem virium num. præced explicatam. Ut Hiquæus Scoti commentator. Iterum alii, præcipue Cl. D. Amort, volunt, necessariam præter intensionem virium etiam extensionem charitatis itidem num. præced. explicatam.

Quamvis autem omnes, de quibus hactenus egimus, quemdam amoris actum ad 136

justificationem intra Sacramentum necessarium esse doceant, non conveniunt tamen, an *amor* ille debeat esse *benevolentiæ*, quatenus unice diligitur propter suam intrinsecam bonitatem, absque ullo respectu ad proprium hominis commodum? an vero sufficiat *amor concupiscentiæ*, quo diligitur Deus ut homini bonus? Cum enim bonitas Dei, ceu motivum formale Charitatis, duplex sit: una *absoluta*, qua Deus in se ipso & sine ullo respectu ad creaturas infinite bonus & essentialiter perfectus exsistit: altera *respectiva*, quatenus est homini bonus, ejusque æterna beatitudo; hinc duplex oritur charitatis actus, invicem tamen subordinatus, quorum primus est *amor benevolentiæ*, vulgo *desinteressatus*, quo Deus unice diligitur ob intrinsecam suam bonitatem, sine ullo respectu ad proprium hominis commodum: alter *amor concupiscentiæ*, vulgo *interessatus*, quo Deus ut homini bonus, ejusque æterna beatitudo diligitur; Hinc utraque bonitas, mea saltem opinione, quam in Tract. de Virtut. Theolog. trado, motivum formale & adæquatum charitatis constituit, ita ut bonitas *absoluta* sit primarium, *respectiva* autem secundarium & priori subordinatum: uterque autem actus benevolentiæ & concupiscentiæ efficiant *amorem amicitiæ*, qui solus sub præceptum cadit, & charitatis perfectionem constituit, ut ibidem ostendo. Hoc solum observare volui, bonitatem Dei respectivam, seu Deum ut nostram æternam beatitudinem nobisque bonum, id est, Deum ut

ulti-

ultimum noſtrum finem intuitive videndum, & poſſidendum, a bene multis theologis aſſignari pro motivo formali ſpei, & *amorem concupiſcentiæ* ab iis appellari amorem, & *actum ſpei*, in quo illos falli, eorum pace dixerim; nam hæc *bonitas* Dei *reſpectiva* eſt objectum *materiale ſpei*, ſeu id, quod ſperatur: non autem motivum ſperandi, uti ibidem explico.

Illi igitur theologi, qui equidem contritionem ex motivo perfectam in Sacramento Pœnitentiæ requirunt, amorem autem concupiſcentiæ non actum *Charitatis*, ſed *ſpei* eſſe erronee exiſtimant, plerumque exigunt amorem benevolentiæ, quem iterum falſo *amicitiam* appellant; cum tamen hæc utrumque involvat actum, benevolentiæ, & concupiſcentiæ. Qui autem attritionem cum amore concupiſcentiæ intra Sacramentum ſufficere contendunt, ſi per iſtum amorem actum veræ Charitatis, ſeu amicitiæ intelligerent, facile nobiscum in concordiam reduci poſſent; Quoniam vero illum pro actu ſpei venditant, & peccatorem absque ullo actu Charitatis juſtificari poſſe arbitrantur, piaculo mihi duxerim iisdem conſentire, minime omnium illis, qui pugnant pro ſufficientia attritionis conceptæ ex metu gehennæ, prout hæc ſub ratione *pœnæ ſenſus* conſideratur; Iſti enim cum ſibi perſuadeant, omnem contritionem ex actu charitatis, quamtumvis tenui & remiſſo conceptam etiam extra Sacra- 131

mentum infallibiliter juſtificare, ideo neceſſitatem charitatis a Sacramento removent; quia ſecus Pœnitens jam ante abſolutionem juſtificaretur, ſicque Pœnitentia non mortuorum, ſed vivorum Sacramentum dici deberet. Media, & ut videtur, tuta via alii incedunt, qui amorem concupiſcentiæ pro vero actu charitatis, quamvis ſecundario & ſubordinato, agnoſcunt, & hunc ipſum in Sacramento ſufficere docent; modo pœnitens, ſaltem interpretative, ita ſit diſpoſitus, ut, ſi per impoſſibile Deus non eſſet ſummum hominis bonum, ejusque æterna beatitudo, peccatum tamen ſuum deteſtaretur, eo quod ſit offenſa Dei, illumque diligeret; quia ſummum eſt in ſe ipſo bonum, omni amore gratuito digniſſimum. Ideoque iſti attritionem, ex metu gehennæ conceptam, prout hæc conſideratur ſub ratione *pœnæ damni*, ſeu quatenus pœnitens dolet, ſe per peccatum a Deo ſuo, æterna ſua beatitudine excludi & ſeparari, cum ſit amor concupiſcentiæ, & verus actus charitatis, in Sacramento ſufficere docent: quorum opinio & mihi placet.

132 Breviter adhuc obſervandum, æternam beatitudinem ab aliquibus rudibus non nihil craſſe conſiderari tanquam locum quemdam deliciis affluentem, ubi omnis boni poſſeſſio reperitur, & beatitudo tanquam aliquid a Deo diſtinctum & creatum concipitur. Quæ quidem conſideratio amorem concupiſcentiæ *mercenarium* conſtitueret, & nequaquam ſufficien-

ficientem ad juſtificationem obtinendam. Aut conſiderari poteſt beatitudo, tanquam ipſe Deus, ita tamen, ut eam quis appetat præciſe propter utilitatem & delectationem, quæ inde ad ſe redundat, nullo habito reſpectu ad infinitam Dei amabilitatem. Aut denique conſideratur perfecte & caſte, ita, ut quis in eam feratur velut in ipſum Deum, ultimum finem infinite amabilem, & intuitive videndum, ac poſſidendum, a quo ob nullum creatum commodum velit ſeparari. Qui quidem amor, etſi forte explicite & ſecundario tendat in propriam utilitatem hominis tanquam *finis cui*, implicite tamen, & primario in Deum ipſum ſummum noſtrum bonum fertur, & tanquam amor caſtus ac gratuitus a Patribus agnoſcitur, ut videbimus. His obſervatis

RESOLUTIO I. Ad juſtificationem intra Sacramentum non requiritur contritio perfecta, ex charitate ſive habituali, ſive actuali in- & extenſa proveniens. 133

Prob. I. Datur in Eccleſia poteſtas remittendi peccata, conceſſa ſacerdotibus, & in Sacramento pœnitentiæ per abſolutionem exercenda: ex dictis n. 52, ſeq. atqui non eſſet vera illa poteſtas, ſed potius fruſtranea, ſi jam ante Sacramenti ſuſceptionem requireretur contritio juſtificativa, ſeu a charitate habituali profecta; non enim illo caſu ſacerdos abſolveret, ſed abſolutum ante a Deo ſolum declararet: cum tamen Patres dicant,

pec-

peccatorem natura prius in terra ſententia ſacerdotis ſolvi, quam ſolvatur in cœlo.

134 *Prob. II.* Juxta Concilium Trident. *aliquando*, id eſt, *raro* contingit, contritionem charitate perfectam eſſe, hominemque Deo reconciliari, priusquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur: Si autem ad omnem juſtificationem intra Sacramentum requireretur contritio perfecte juſtificativa, tunc rarus foret caſus, quo pœnitens rite eſſet ad Sacramentum diſpoſitus; cum contritionem adeo charitate perfectam eſſe, raro contingat, ut docet Catechismus Concil. Trid. infra allegandus. Atqui hoc eſt abſurdum, ergo.

135 *Prob. III.* Ex ſententia adverſariorum ſequeretur, Sacramentum pœnitentiæ non eſſe mortuorum, ſed vivorum; cum adminiſtraretur homini jam juſtificato: atqui hoc eſt contra communem theologorum.

136 *Prob. IV.* Sequeretur etiam, nihil commodi ex hoc Sacramento accedere pœnitentibus in nova lege; cum eodem modo, nempe per contritionem perfectam, etiam juſtificati fuerint veteres ante Chriſtum abſque Sacramento pœnitentiæ: quod denuo abſurdum.

137 Nec dicant adverſarii cum Estio, raro, nec niſi in articulo neceſſitatis contingere, ut contritio ex charitate actuali in- & extenſive perfecta citra Sacramentum juſtificet.

Contra eſt I. Concil. Trid. ſæpius cit. cap. 4. Seſſ. XIV. ſupponit, contritionem dicto

ſto modo perfeſtam non poſſe ſtare cum peccato mortali: ergo ſupponit, eam *ſemper*, & non ſolum raro juſtificare.

Contra eſt II. Damnatæ ſunt a Pio V. 138
ſequentes propoſitiones Baji. 31. *charitas perfecta* (quæ involvitur in contritione perfecta) *quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, in catechumenis & pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* 32. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum.* Ergo contradictorie infertur, charitas in- & extenſive perfecta non poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Declaravit autem Bajus in ſua apologia, ſe in priore propoſitione (nam alteram negabat in ſuo libello reperiri) Charitatis nomine intelligere eam, quæ eſſet ex motivo, non vero in- & extenſive perfecta; adeoque agnovit, propoſitionem ſuam, de Charitate in- & extenſive perfecta intellectam, juſte damnari.

Contra eſt III. Quod ait Chrysostomus Homil. VII. in II. ad Timoth. „ ſicut i- 139
„ gnis, ubi ſilvam occupaverit, omnia pur-
„ gare conſuevit, ita & charitatis *fervor*,
„ quocunque inciderit, omnia perimit, at-
„ que perrumpit. Ubi Charitas eſt, omnia
„ ſublata ſunt mala. „ In hoc textu notandum, non loqui Chrysostomum de quacunque charitate, ſed de *fervore*, id eſt debita in- & extenſione.

Con-

140 Contra est IV. damnata fuit anno 1560. a facultate Parisiensi haec propositio tanquam hæretica: *Per contritionem non adhibito realiter Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra casum Martyrii & necessitatis.* Quod vero in hac propositione intelligi debeat contritio in- & extensive perfecta, inde constat; quia Parisiensis facultas constanter tenet, actui charitatis initialis extra Sacramentum ordinarie non concedi justificationem, & raro homines ante Sacramenti susceptionem justificari. Denique etiam hæc damnata fuit Baji propositio 71. *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.*

141 Objic. contra I. Resolutionem. Plurimi Patrum docent, non plus agere sacerdotes absolvendo, quam quod fecerunt Apostoli solvendo Lazarum, a Christo resuscitatum; atqui Apostoli nihil egerunt in Lazarum mortuum, sed vivum; ergo nec sacerdotes quidquam agunt in animam peccato mortuam, sed jam contritione perfecta vivificatam, cui absolutione tantum poenae remittuntur. Ergo hoc ipso ad Sacramentum supponitur perfecta contritio justificativa.

II. S. Augustinus Tract. 13. in Joan. „ Quantumcunque Catechumenus proficiat, „ adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat; non „ illi

„ illi dimittitur, niſi cum venerit ad Baptis„ mum. „ Ergo charitas etiam perfecta ſine Sacramento non juſtificat.

Respond. ad I. Patres hoc unum volunt, quod ſacerdotes non poſſint pœnitentem vivificare *immediate* illuſtrando intellectum & movendo voluntatem, quod ſolius Dei eſt, qui per gratiam principium vitæ ſpiritualis pœnitenti concedit, vitam autem perfectam, in gratia ſanctificante conſiſtentem, tribuit per miniſterium Sacerdotum; niſi jam pro priori charitas adeo fuerit perfecta & intenſa, ut illius intuitu Deus gratiam juſtificationis contulerit. Itaque non omni ex parte perfecta eſt illa comparatio.

Respond. ad II. loqui Auguſtinum de iis, qui via ordinaria proficiunt, & qui contritionis, charitatisque perfectionem nondum attigerunt.

Resolutio II. Ad Juſtificationem intra 142
Sacramentum neceſſaria eſt contritio, ex actu charitatis ſaltem initialis proveniens.

Prob. I. S. Scriptura, & ipſa natura pœnitentiæ ad juſtificationem quamlibet requirit veram converſionem peccatoris ad Deum ex toto corde &c. atqui ſine actu aliquo charitatis non datur vera ad Deum ex tote corde converſio: *ergo* ſine charitate non datur juſtificatio. *maj.* eſt certa. *min.* prob. In peccato gravi convertitur homo per amorem ad creaturam: ergo in pœnitentia debet ad Deum converti per amorem; ſine hoc enim

enim non poteſt in Deo conſtitui ultimus finis: quod tamen ad veram converſionem & pœnitentiam eſt neceſſarium. Hoc ipſum docet S. BERNARDUS tum ſerm. 2. in cap. jejunii. tum Epiſt. XI. ubi ait, quod ſola charitas ſit, quæ ab amore ſui & mundi convertere poſſit animam, & ad Deum dirigere.

143 *Prob. II.* Juxta Paulum I. Corinth. XIII. nec Martyrium quidquam valet ſine charitate; ait enim: „ ſi habuero omnem fidem, „ ita, ut montes transferam: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates „ meas: & ſi tradidero corpus meum, ita, „ ut ardeat, charitatem autem non habuero, „ nihil mihi prodeſt. „ Ergo nec pœnitentiæ Sacramentum ſine charitate aliquid prodeſt.

Nec ſufficit reſpondere cum *P. Antoine*, loqui Paulum de charitate habituali. Nam

CONTRA EST. Loquitur de charitate neceſſaria ad martyrium: ſed ad hoc non requiritur habitualis; cum ipſum martyrium cum charitate actuali juſtificet, & charitatem habitualem procuret. Cum enim juxta Catholicos martyrium ſuppleat defectum Baptiſmi, & Sacramenti: ad neutrum autem a P. ANTOINE requiratur charitas habitualis: certum inde videtur, Paulum de charitate actuali loqui, ſine qua nec martyrium, nec aliud Sacramentum mortuorum in adultis valet.

144 *Prob. III.* Idem Paulus loc. cit. ait cap. 16. *ſi quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chri-*

Chriſtum ſit anathema: at qui eſt ſub anathemate, non juſtificatur. Ergo qui non amat, non juſtificatur. Item I. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Reſpondet P. Antoine, utrumque textum loqui de charitate actuali tunc, quando ejus urget præceptum: ſed non tenemur in quavis circumſtantia elicere actum charitatis.

Contra eſt. Hoc ipſum eſt in quæſtione, an, quando urget ſuſceptio Sacramenti, & obligatio juſtificationis, tunc non urgeat præceptum charitatis? quod quidem videtur probabiliſſimum; cum non poſſit aſſignari tempus convenientius hujus præcepti, quam iſtud, dum homo ſe ad Deum, ut ultimum finem, ex toto corde convertere, & renovare amicitiam obligatur.

Prob. IV. e SS. Patribus, qui in tantum ſtant pro nobis, & pro neceſſitate dilectionis Dei; ut adverſarii vix unum pro ſe allegare audeant. Ne autem reſpondeant, eos loqui de juſtificatione extra Sacramentum: proferam tantum unum vel alterum, expreſſe de Sacramento loquentes. Ita S. Augustinus ſerm. 1. in Pſal. 103. „ Munus Sacra-
„ mentorum in Baptiſmo, in Evchariſtia, in
„ cæteris ſanctis Sacramentis quale munus
„ eſt? non ſe jactent, qui forte ſine charita-
„ te habuerint hoc munus Dei ſanctum - - -
„ quia ſi habeam omnem prophetiam, cha-
„ ritatem autem non habeam, nihil ſum.
Item lib. 2. Contra Petilianum n. 172. „ Te-

„ neamus charitatem, ſine qua & cum ſacra-
„ mentis & cum fide nihil ſumus. „ ISIDORUS Hiſpal. lib. 2. ſent. cap. 3. „ Sine amo-
„ re charitatis, quamvis quisque recte credat,
„ ad beatitudinem pervenire non poteſt; quia
„ tanta eſt charitatis virtus, ut etiam mar-
„ tyrium (conſequenter & ipſa ſacramenta)
„ ſine illa nihil eſſe credantur. „ Ven. BEDA in I. Corinth. XIII. exponens verba num. 143. citata, poſtquam dixerat, absque dilectione Dei ne ipſum quidem Baptiſmum prodeſſe, addit: „ Si dixit Apoſtolus, nihil eſſe,
„ ſi non habeat charitatem, non ſacramenta
„ & ſcientiam, & prophetiam, & fidem, illa
„ enim magna ſunt, etiamſi ille nihil ſit, qui
„ ea ſine charitate habuerit, & eorum veri-
„ tatem in ſua iniquitate tenuerit. „ Hæc, puto, clara ſunt.

146 *Prob. V*: S. THOMAS exponens actus in pœnitente neceſſarios, hæc ſcribit III. P. Q. 85. art. 5. „ De pœnitentia poſſumus loqui, quan-
„ tum ad actus, quibus Deo operanti in pœ-
„ nitentia cooperamur, quorum actuum pri-
„ mum principium eſt Dei operatio conver-
„ tentis cor, ſecundum illud Thren. ult. 21.
„ *Converte nos Domine ad te, & convertemur.*
„ 2. Actus eſt motus fidei. 3. Eſt motus
„ timoris ſervilis, quo quis timore ſupplicio-
„ rum a peccatis retrahitur. 4tus Actus eſt
„ motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſe-
„ quendæ aſſumit propoſitum emendandi. 5.
„ Actus eſt motus charitatis, quo alicui pec-
„ catum diſplicet ſecundum ſe ipſum, nempe
„ in

„ in quantum eſt offenſa Dei, & non jam pro-
„ pter ſupplicia. 6. Actus eſt motus timoris
„ filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis
„ emendam Deo voluntarius offert. Sic igi-
„ tur patet, quod actus pœnitentiæ a timore
„ ſervili procedit ſicut a primo motu effectus
„ ad hoc ordinato; NB. a timore autem fi-
„ liali ſicut ab *immediato & proprio* princi-
„ pio. „ Ergo juxta S. Thom. attritio ex ti-
more ſervili eſt diſpoſitio tantum *remota:* ti-
mor autem filialis, qui eſt actus charitatis,
proxima.

Nec dicant, S. Thomam loqui de pœniten- 147
tia, ut *virtute*, & juſtificatione extra ſacramen-
tum.

Contra eſt. S. Thom. loquitur de vera
converſione; quæ utique etiam in ſacramen-
to eſt neceſſaria. Dein ipſe S. Thom. docet,
pœnitentiam, ut virtutem a Deo ad materiam
ſacramenti elevatam fuiſſe: ergo iidem pœni-
tentis actus requiruntur in ſacramento. Nam
3. p. q. 84. a. 7. ⊙ ſcribit: „ Dicendum, quod in
„ hoc ſacramento actus pœnitentis ſe habet
„ ſicut materia . . . Materia vero etiam in
„ aliis ſacramentis præexiſtit a natura, ut a-
„ qua; vel ab arte, ut panis . . . ſic ergo
„ hujus ſacramenti materia præexiſtit a na-
„ tura. „ Ergo cum ad veram pœnitentiæ
virtutem requiratur dilectio Dei: hæc etiam
ex ratiocinio S. Thomæ intra ſacramentum
erit neceſſaria.

148 *Prob. VI.* Ex Concil. Trid. ad pœnitentiam ante Baptiſmum agendam requiritur actus charitatis initialis: ergo etiam ad pœnitentiæ ſacramentum; cùm non ſit major ratio de uno, quam de alio. *Antec.* prob. cap. 6. explicans modum juſtificationis ait: „ Diſpo-
„ nuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum ex-
„ citati divina gratia & adjuti, ac fidem ex
„ auditu concipientes libere moventur in
„ Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus
„ revelata, & promiſſa ſunt; atque illud in-
„ primis, a Deo juſtificari impium per gratiam
„ ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto
„ JEſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligen-
„ tes a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter
„ concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſe-
„ ricordiam ſe convertendo in ſpem erigun-
„ tur, fidentes, Deum ſibi propter Chriſtum
„ propitium fore NB. *illumque tanquam omnis*
„ *juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, ac NB. *pro-*
„ *pterea* moventur adverſus peccata per o-
„ dium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per
„ eam pœnitentiam, quam *ante Baptiſmum* a-
„ gi oportet: Denique dum proponunt ſuſci-
„ pere Baptiſmum, inchoare novam vitam, &
„ ſervare divina mandata &c. „ Item can. 3.
„ Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus
„ ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio ho-
„ minem credere, ſperare, diligere, ac pœni-
„ tere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis
„ gratia conferatur, anathema ſit. „ Ex utroque textu evidens eſt, Concil. ad juſtificationem in ſacramento Baptiſmi præter actum ſpei

ſpei requirere actum dilectionis: ergo ſi juxta adverſarios amor concupiſcentiæ ſit actus ſpei, in quo tamen falluntur, non ſufficit, ſed requiritur actus charitatis tanquam tertiæ virtutis theologicæ. Accedit, quod teſte Cardinale PALLAVICINO, cum in decreto, ut prius conceptum erat, nulla fieret mentio charitatis; theologi quidam monuerint, ut cum fide & ſpe jungeretur aliquis dilectionis actus, addita ratione: *Quia ſi pœnitentia tota eſſet ex timore ſine amore juſtitiæ, & dolor eſſet propter pœnam tantum, & non propter Dei offenſam, infructuoſa eſſet:* Decretum ut nunc eſt, immutatum fuit. Nec etiam dici poteſt, loqui concilium de juſtificatione extra ſacramentum; nam loquitur de juſtificatione in genere, & cum Baptiſmo conjuncta: atqui eadem eſt ratio de pœnitentia; maxime, cum cap. ſequenti enarrans omnes juſtificationis cauſas, pro inſtrumentali aſſignet ſacramentum Baptiſmi.

Prob. VII. Ratione, ac primo quidem 149
iis omnibus motivis, quibus n. 5. probatum eſt, ad veram pœnitentiam de Jure naturæ requiri actum charitatis & deteſtationem peccati in ratione offenſæ Dei; cum enim actus pœnitentis ſint materia ſacramenti, hinc iidem requiruntur quoad ſubſtantiam intra, & extra ſacramentum. Nam Chriſtus elevando pœnitentiæ virtutem ad rationem ſacramenti, noluit actus ejus eſſentiales, & jure naturæ requiſitos, abolere, ſed perficere, & cum gratia ſacramenti faciliores reddere. Neque

tamen inde ſequitur, requiri eandem charitatis intenſionem intra, ſicut extra ſacramentum; ſed hoc legitime ſequitur, requiri eandem pœnitentiæ perfectionem ex parte *motivi*; cum enim peccatum in nova lege eandem retineat malitiam: etiam pœnitentia eandem requirit deteſtationem.

150 Ratio II. In Juſtificatione ſacramentali, quamvis infundantur habitus fidei & ſpei, ſi forte in ſubjecto antea non exſtiterant, neceſſario tamen præcedere debent actus illarum virtutum; ut fatentur omnes: ergo nec habitus charitatis infunditur, niſi præceſſerit actus charitatis.

Reſpondet P. Antonius, diſparitatem eſſe ipſam voluntatem Dei, hanc vel illam diſpoſitionem ad ſua dona requirentis: quæ voluntas per ſcripturam & traditionem & Eccleſiæ ſenſum nobis certo innoteſcit.

151 Contra eſt I. Tam clare loquitur ſcriptura & traditio de neceſſitate charitatis, quam de fide, & ſpe; quid enim clarius noſtris textibus? quid clarius illo? *Ego diligentes me diligo.* Ergo non diligit Deus non diligentes; quos autem non diligit, non juſtificat. An autem certum eſt, ut confidenter ſupponit P. Antonius, Eccleſiæ ſenſum eſſe, non requiri actum charitatis ad juſtificationem? Certe alium fuiſſe ſenſum Eccleſiæ in Tridentino, ex auctoribus illis patet, qui eidem interfuerant, & fere omnes neceſſitatem amoris agnoverunt, ut videre eſt apud Witassium

TASSIUM & alios. Exiſtimo, nullam huic argumento reddi poſſe diſparitatem. In juſtificatione conſtituitur amicitia habitualis Deum inter & hominem: atqui hanc Deus cum adulto non init, niſi ex parte hominis præcesſerit actus amicitiæ, quæ neceſſario eſt reciproca; ait enim: *vos amici mei eſtis* NB. *ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* Quid autem præcepit magis, quam dilectionem Dei, idque tam jure naturali quam poſitivo? quando autem id præcepit magis & impleri voluit, niſi dum Deus hominem maxime diligit. Maxime autem diligit, dum juſtificat, dum ex ſervo adoptat in filium, & regni cœleſtis hæredem. Ergo illo maxime tempore ad charitatis & amicitiæ actum homo obſtringitur.

Ratio III. Obſervatio primi mandati & 152
dilectio Dei ſuper omnia adulto jure naturali & poſitivo ad vitam æternam eſt neceſſaria: atqui apud Adverſarios contingere poſſet, hominem ſalvari absque eo, ut toto vitæ tempore vel ſemel actum charitatis elicuerit, ergo eluderetur primum mandatum. *min.* prob. Qui cum ſola attritione abſolvitur, juſtificatur, &, ſi ſtatim poſt abſolutionem moriatur, damnari non poteſt, ſecundum AA. atqui fieri poteſt, ut homo illo toto vitæ tempore actum charitatis nunquam elicuerit. Ergo.

Ratio IV. Præceptum dilectionis Dei 153
hominem in primo inſtanti uſus rationis obligat, ut docent cum S. THOMA omnes Thomi-

ſtæ: ergo etiam dum homo vult juſtificari, obligat: *conſeq.* probatur. Ideo in primo caſu; quia tunc debet ſe homo convertere ad aliquem finem ultimum, nempe Deum: quod non niſi per charitatem fieri poteſt: ergo etiam in poſteriori caſu; quia tunc etiam homo ad Deum ut ultimum finem, a quo peccando receſſerat, ex toto corde ſe debet convertere: quod ſine charitate fieri nequit, ut ſuppono ex dictis n. 11. & etiam ex eo; quia eſt de natura pœnitentiæ; cum ſit ſpecies juſtitiæ commutativæ, ut reſtituatur ablatum, ſecus non dimittitur peccatum: atqui peccator per inordinatum amorem & converſionem ad creaturam rationem ultimi finis ſaltem affective a Deo abſtulit: ergo debet hanc rationem in pœnitentia Deo reſtituere per converſionem & amorem Dei ultimi finis, ſe & omnia ordinando ad Deum, eum omnibus præferendo: quod ſine vera & proprie dicta charitate fieri nequit.

154 Ratio V. Peccator pœnitens debet habere aliquem ultimum finem. Vel ergo habet Deum, vel creaturam, id eſt ſeipſum? ſi Deum; ergo cum de illo fine explicite cogitare debeat, etiam ſe & omnia ad Deum dirigere obligatur, quod eſt proprium charitati. Si non habet Deum pro ultimo fine, ſed ſe ipſum: tunc hoc ipſo non eſt diſpoſitus ad juſtificationem ſive intra, ſive extra ſacramentum conſequendam.

Objic. Contra II. Reſolut. S. Th. in IV. D. VI. Q. I. A. 3. quæſt. 1. ad 5. docet: „ Ut „ homo ſe præparet ad gratiam in Baptiſmo „ recipiendam, præexigitur fides, ſed non „ charitas; quia ſufficit attritio præcedens, „ etiamſi non ſit contritio. „ Ergo etiam in ſacramento pœnitentiæ non requiritur contritio ex motivo charitatis. 155

II. Idem S. D. in IV. D. XXII. Q. II. A. 1. q. 3. ⊙ ait. „ Quando aliquis accedit ad con- „ feſſionem attritus, etſi non plene contritus, „ ſi obicem non ponat, in ipſa confeſſione & „ abſolutione ſibi gratia & remiſſio peccato- „ rum datur. „ Ergo &c.

Resp. ad I. *Diſt.* S. Th. non præexigit charitatem *habitualem quæ facit intentionem meritoriam*, ut Ipſe ait, *conc. actualem. ſubd.* in- & extenſam, *conc.* initialem, *nego.* fuerunt enim ante S. Th. non pauci, qui pro præparatione ad gratiam ſacramenti requirebant charitatem habitualem: quos refutat etiam per hoc, quia ſequeretur proceſſus in infinitum. Auctores, qui ita ſenſerunt, legi poſſunt apud Witasse Q. 3. de contrit. art. 3. S. Thomas reſpondet ibidem ad hanc objectionem: „ Charitas propinquior eſt ad gratiam, quam „ fides, quia charitas (habitualis, vel actua- „ lis debite intenſa) non poteſt eſſe ſine gra- „ tia ſicut fides. ſed non requiritur charitas „ in recipiente Baptiſmum; quia ſic nullus „ adultus de novo acciperet ibi gratiam: er- „ go nec requiritur fides. „ Ubi ſatis patet,

 eum

eum loqui de charitate vel habituali, vel a-ctuali in- & extensa, quæ non stat cum peccato. *Attritionis* autem nomine S. Th. plerumque intelligit contritionem, ex motivo quidem perfectam, sed non satis intensam, aut habitu charitatis nondum formatam.

RESPOND. ad II. S. THOMAS per attritionem intelligit *contritionem* imperfectam, seu initialem, nondum intensam, perfectam tamen ex motivo: quod colligitur ex eo; quia dicit, etsi *non plene contritus*. Quando autem S. THOMAS attritionem considerat *serviliter*; tunc expresse docet, eam nunquam fieri contritionem, quia regitur motivo distincto. sic enim ait in supplem. Q. I. A. 3. *sed contra.* „ Quo-„ rum principia sunt diversa omnino, eorum „ unum non potest fieri id, quod est alterum; „ sed attritionis principium est timor servilis, „ contritionis autem timor filialis: ergo at-„ tritio non potest fieri contritio. „

156 OBJIC. contra eand. Si ad justificationem in sacramento requireretur contritio charitate perfecta, tunc non tantum non facilior, sed difficilior est modus justificandi in nova lege, quam in veteri; atqui hoc videtur absurdum. Ergo. *sequela* prob. In lege veteri præter actum charitatis non requirebatur distincta, & explicita peccatorum confessio, quæ tamen in nova lege requiritur, & juxta nos insuper eadem contritio, ut olim. Ergo.

RESPOND. *nego sequel.* Nam olim requirebatur actus charitatis in- & extensive *perfectus*,

ctus, peccatori difficillimus; nunc cum ſacramento ſufficit *initialis*. Dein adhuc eſt facilior juſtificationis modus in nova lege, propter abundantiam gratiarum, quæ nunc copioſius intuitu ſacramenti ex meritis Chriſti conferuntur. Cæterum in injuriam Chriſti cedit, quod adverſarii intendunt, nempe Eum liberare homines voluiſſe a debito amandi, atque modum juſtificationis ſpecifice alium, excluſa omni charitate, in hunc orbem introducere; cum tamen & S. AUGUSTINUS & Patres alii centies obſervent, in hoc præcipue differre utriusque legis ſtatum; quod ille fuerit timoris, hic amoris: quem tamen adverſarii exulare volunt.

RESOLUTIO III. Actus charitatis ad con- 157
tritionem neceſſarius debet eſſe *amicitiæ*, id eſt, non requiritur amor pure *benevolus*, ſeu ut ajunt, *deſintereſſatus*: adeoque ſufficit amor concupiſcentiæ: qui tamen non eſt actus ſpei, ut Adverſarii falſo ſupponunt.

Prob. I. Ille amor requiritur & ſufficit, qui implet primum præceptum decalogi: atqui talis eſt amor amicitiæ, qui non eſt pure benevolus: ergo &c. *maj.* videtur certa. *minorem* ſuppono ex tract. de virtutibus theologicis, ubi id pluribus oſtendo.

Prob. II. Amor caſtus ad juſtificationem 158
ſufficit: atqui amor concupiſcentiæ, quo Deus diligitur ut ſummum noſtrum bonum ac æterna beatitudo, eſt amor caſtus: ergo. *min.* prob. 1. quia ſæpe commendatur in ſacra ſcriptura; ſic

ſic David Pſalm. 118. pro motivo obſervandi mandata allegat hunc amorem: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*, quam tamen non conſiderabat tanquam aliquid a Deo diſtinctum; tunc enim fuiſſet mercenarius. *min.* prob. 2. ex S. Augustino, qui amorem concupiſcentiæ vocat *gratuitum*, adeoque caſtum. ſic lib. de catechizand. rud. cap. ult. „ Colatis & diligatis „ dominum gratis. totum præmium noſtrum „ ipſe erit, ut in illa æterna vita bonitate e- „ jus & pulchritudine perfruamur. „ Et in Pſalm. 72. „ Quid ergo? nullum præmium „ Dei? nullum præter ipſum, præmium Dei „ ipſe Deus eſt: hoc amat, hoc diligit, ſi aliud „ dilexerit, non eſt caſtus amor. „ Atque ita docet paſſim.

159 *Prob. III.* Bonitas Dei reſpectiva, ſeu, ut eſt noſtra beatitudo, eſt motivum ſecundarium, & ſubordinatum charitatis, non ſpei: ergo amor concupiſcentiæ ex hoc motivo procedens verus eſt actus charitatis, non ſpei: ergo ad juſtificationem intra ſacramentum ſufficit.

160 *Prob. IV.* S. Facultas theologica Pariſienſis 1716. poſtquam proſcripſerat varias propoſitiones Magiſtri le Roux, & amorem aliquem eſſe neceſſarium declaraverat, atque in poſterum ab omnibus ita doceri mandaverat, hæc addit: „ Hunc amorem ferri in Deum, „ tum ut in ſe ſumme bonus eſt, tum ut eſt „ ſummum bonum noſtrum, quæ duo com-

„ plecti-

„ plectitur charitas, inter virtutes theologi„ cas tertia, ſicut ex SS. literis liquet, & ſan„ cti Patres docuerunt. &c. „ Eandem declarationem ſuam fecere univerſitas Remenſis, Nannetenſis eodem anno, & Cadomenſis anno ſequenti. Scio quidem, auctoritatem horum theologorum non eſſe deciſivam, nec, ut loqui ſolent, tranſire Sequanam: ſed tamen non eſt nulla; maxime cum Roma non correxerit: hinc utique privatis caſuiſtis præferendi erunt.

Quæ CONTRA III. Reſolut. Objici poſſunt, 161
in eo præcipue conſiſtunt, quod amor concupiſcentiæ vel ſit actus ſpei, vel ſit amor mercenarius.

Ad primum reſpond. in tract. de virtutibus theologicis. Pro altero notandum, Patres illum amorem dicere *mercenarium*, quo Deus diligitur propter aliquid *a Deo diſtinctum:* ego autem concipio, amorem concupiſcentiæ tendere in æternam beatitudinem, non *ut diſtinctam a* Deo, ſed quæ eſt ipſe Deus, nobis bonus, atque adeo eſſe actum virtutis theologicæ charitatis.

RESOLUTIO IV. Non quilibet actus cha- 162
ritatis debilis & remiſſus infallibiliter juſtificat extra ſacramentum.

Probat. I. Non cuilibet actui charitatis debili & remiſſo fuit a Deo promiſſa remiſſio peccati, ergo non juſtificat infallibiliter. *conſeq.* conſtat; quia non ex natura charitatis ſed ex ſolo Dei beneplacito gratuito peccatum dimit-

dimittitur; absolute enim loquendo posset macula peccati stare cum charitate actuali etiam intenso. *Antec.* prob. S. Scriptura ubicunque peccatorum veniam promittit, requirit aliquam intensionem in homine, ita, ut ea omnia faciat, quæ moraliter facere potest. Sic Deut. IV. 29. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* & cap. XXX. Si ductus pœnitudine cordis tui . . . reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & in tota anima tua. . . Dominus Deus tuus miserebitur tui. Vid. etiam III. Reg. VIII. 48. & II. Paralip. XXX. 18. seq.

Respondebunt Adversarii. Quicunque etiam in gradu remisso Deum diligit, vere diligit, & quia eum appretiative omnibus præfert, ex toto corde, ex tota anima vere diligere dicitur, consequenter tali promissa est venia.

163 Contra est, si res ita se haberet, tunc non solum *raro*, sed *frequenter* admodum contingeret, ut peccatores justificarentur ante actualem susceptionem sacramenti, atqui hoc est falsum. ergo. prob. in primis *maj.* non raro contingit, imo ad veram pœnitentiam requiritur, ut peccator Deum appretiative omnibus bonis creatis præferat: ergo si amor Dei super omnia consistit in hac appretiatione, sequitur, quod aut omnes pœnitentes eam habere debeant, aut saltem frequenter habeant, consequenter sæpe ante sacramentum justificarentur

tur. Prob. etiam *min.* 1. Trid. Concil. ſeſſ. XIV. cap. 4. docet, contritionem ſolum NB. *aliquando* charitate perfectam eſſe, & hominem Deo reconciliare ante ſacramenti ſuſceptionem, quod autem tantum *aliquando* contingit, *raro* contingit, non *ordinarie. min.* prob. 2. ex Catechiſmo Concil. Trid. juſſu Pii V. editi part. II, cap. V. §. 32. „Primum docendum eſt, con„ feſſionis inſtitutionem nobis ſummopere u„ tilem, atque adeo neceſſariam fuiſſe. Ut „ enim hoc concedamus, contritione pecca„ ta deleri; quis ignorat, illam adeo vehe„ mentem, acrem & intenſam eſſe oportere, „ ut doloris acerbitas cum ſcelerum magni„ tudine æquari, conferrique poſſit? at quam „ pauci admodum ad hunc gradum perveni„ rent, fiebat etiam, ut a pauciſſimis hac via „ peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare „ neceſſe fuit, ut clementiſſimus Dominus „ faciliori ratione communi hominum ſaluti „ conſuleret. „ Unde duo ſequuntur: 1. *raro* hominem juſtificari extra ſacramentum: 2. non *quemlibet* actum charitatis debilem infallibiliter juſtificare.

Reſpondet P. Antoine, in hoc textu Catechiſmi manifeſtam eſſe exaggerationem.

Contra eſt. Solenne quidem hoc eſt quorumdam theologorum effugium, ut ſub prætextu exaggerationis textus authorum non faventes elidant; at meminerint, Patres quidem in ſuis ſermonibus ex tempore peroratis quandoque exaggerare rem, non vero Theo-

Theologos, qui tradunt planam doctrinam & præcise loquuntur.

164 *Prob. II.* Justificatio, quæ fundat jus ad æternam beatitudinem, non est promissa debili in Deum affectui, sed intenso: ergo. &c. *Antec.* prob. quoad 1. part. Christus ipse ait: Matth. VII. 21. *Non omnis, qui dicit Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille intrabit in regnum cælorum.* Ergo ad salutem æternam obtinendam requiritur efficax propositum implendi divinam voluntatem, servandi mandata, faciendi dignos fructus, de quibus ibi loquitur Christus, & assumendi media efficacia, hoc est, charitas extensive perfecta. Hoc ipsum confirmat Christus in parabola X. virginum. Quinque fatuæ oleo destitutæ, & exclusæ ab ingressu ad nuptias, clamarunt quidem: *Domine Domine aperi nobis:* quod sine amore initiali vix potest cogitari; & tamen audire debuerunt: *Amen dico vobis, nescio vos.* Prob. *antec.* quoad 2. part. Mulier peccatrix dum Christi pedibus provoluta, lacrymis rigabat pedes &c. utique initialem saltem charitatem habuit; & tamen tunc nondum fuit veniam consecuta, donec charitatem suam intenderit, postea autem Christus dixit: *remittuntur* (ergo non erant prius dimissa,) *ei peccata multa, quia dilexit* NB. *multum.* Hinc ait Augustinus: *accessit immunda* (nimirum quoad maculam peccati, etsi fuerit libera ab affectu peccati) *ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana; nam quare*

fecit

fecit illa omnia, nisi ut sibi dimitterentur peccata? Paulus voce Domini in terram prostratus, jam utique habuit charitatem saltem initialem, dum dixit: *Domine, quid me vis facere?* nec tamen tunc censebatur justificatus; nam cum illum orantem inveniret Ananias ait: *Et nunc quid moraris? exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Actor. XXII. 16.

Prob. III. SS. Patres communiter docent, Pœnitentes & catechumenos ordinarie non justificari, antequam sacramenta Baptismi & pœnitentiæ actu susceperint: ergo eo ipso supponunt, non quemlibet actum charitatis debilem extra sacramentum infallibiliter justificare. *Consequentia* videtur legitima; quia vix dubitari potest, quin catechumeni & Pœnitentes, saltem in veteri ecclesia, ubi longo tempore ad horum sacramentorum susceptionem præparabantur, interea actum aliquem charitatis, saltem remissum, plerumque elicuerint: *antec.* prob. sic AUGUSTINUS tract. XIII. in Joan. „ Quantumcunque catechumenus „ (ordinarie) proficiat, adhuc sarcinam suæ „ iniquitatis portat. non ei dimittitur (ordi- „ narie) nisi cum venerit ad Baptismum. „ Et lib. III. de symbolo ad catechum. „ Deus (or- „ dinarie) non dimittit peccata nisi baptiza- „ tis. „ Idem de Pœnitentibus testatur CYPRIANUS Epist. 20. ad Caldonium Episc. & Epist. 54. ad Cornel. Rom. Pont. 165

166 *Prob. IV.* S. AUGUSTINUS Epist. 180. ad Honoratum, & alii Patres testantur, primos Christianos vehementer fuisse lamentatos, ubi quispiam fidelium absque actuali susceptione sacramenti Baptismi aut pœnitentiæ ex hac vita decesserit: atqui nulla fuisset ratio hujus lamentationis, si quilibet actus charitatis remissus justificaret; facile enim potuissent supponere, fidelem in defectu absolutionis ejusmodi actum charitatis elicuisse. Ergo supponebant, actum debilem non justificare. Ex isto pariter supposito ortum habuisse existimo, quod antiqui non nulli pro catechumenis defunctis ante receptionem Baptismi orare noluerint, de salute eorum desperantes.

167 *Prob. V.* Concil. Trid. sess. XIII. can. 11. „ Ne tantum sacramentum (Evcharistiæ) in„ digne, atque adeo in mortem & condemna„ tionem sumatur, statuit, atque declarat i„ psa S. Synodus, illis, quos conscientia pec„ cati mortalis gravat, quantumcunque se „ contritos existiment, habita copia confessa„ rii, necessario præmittendam esse confessio„ nem sacramentalem, si quis autem contra„ rium docere, prædicare, vel pertinaciter „ asserere, seu etiam publice disputando de„ fendere præsumpserit, eo ipso communica„ tus existat. „ Atqui nulla fuisset ratio hujus decreti, si concilium existimasset, quamlibet contritionem & actum charitatis debilem justificare, nec posse cum peccato mortali consistere. Imo Melchior CANUS, qui sessioni huic

huic intererat, teſtatur, Canonem iſtum editum fuiſſe contra CAJETANUM, qui docuerat, quemlibet actum charitatis Dei ſuper omnia, atque adeo omnem contritionem, ex tali actu provenientem, hominem juſtificare, & ad dignam ſuſceptionem Evchariſtiæ diſponere. Sic autem ait CANUS lib. 5. de loc. theol. cap. 5. prout citat JUENIN: „Quod ſententia Cajetani non fuerit pro hæretica condemnata, & „ nos teſtes ſumus, qui Concilio interfuimus, „ & Contextus ipſe demonſtrat: ne tantum „ ſacramentum &c. ubi vides, Cajetani ſententiæ anathema non dici, ſed quoniam „ non ſolum falſa, ſed noxia etiam erat, reprobari. „

Prob. VI. Si quilibet actus charitatis 168
remiſſus juſtificaret infallibiliter, ſequeretur, quemlibet facile poſſe eſſe certum de ſua juſtificatione, cum ſcire utique poſſit, an Deum omnibus rebus creatis voluerit præponere: at ſequela falſa eſt: juxta illud Eccl. IX. 1. *Neſcit homo, utrum odio, vel amore dignus ſit.* Et ex eo, quod S. Scriptura remiſſionem peccatorum converſioni peccatoris, maxime extra ſacramentum, ſub aliqua dubitatione promittat. Sic Jon. II. 8. *Convertatur vir a via ſua mala . . . quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus.* Item Joel II. 12. 14.

Prob. ult. e S. THOMA qui conſtanter do- 169
cet, non concedi homini gratiam, niſi faciat, quod eſt in ſe, & quidem efficaciter: item *quandoque* actum voluntatis eſſe ab initio adeo

intenſum, ut *ſtatim* juſtificatio ſequatur. Ergo hoc ipſo non quilibet actus remiſſus juſtificat. Antec. prob. verbis ejusdem in IV. D. XVII. Q. I. Art. II. quæſt. 2. ⊙ „ Per diſpli„ centiam peccati, & affectum ad Deum ſe „ aliquis ad gratiam præparat, & quando hæc „ duo NB. *efficaciter* facit, dicitur facere, quod „ eſt in ſe, & gratiam recipit. „ Ibid. quæſtiunc. 1. ⊙ „ Non ſemper oportet, quod talis „ præparatio ad gratiam, (quæ facit, quod eſt „ in ſe) tempore juſtificationem præcedat; „ quia cum actus voluntatis ſit in ſua pote„ ſtate, a principio poteſt eſſe tantum inten„ ſus, quantum ſufficit ad præparationem. „

170 Objic. contra IV. Reſolutionem. Juxta hanc ſententiam perfecta charitas poſſet conſiſtere cum peccato mortali; atqui hoc eſt damnatum in Bajo vid. n. 128. & ſeq.

II. S. Thomas III. P. Q. LXX. A. IV. ⊙ „ Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet con„ cupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mor„ tale, quod committitur in transgreſſione „ mandatorum legis. Minima enim Charitas „ plus diligit Deum, quam cupiditas millia „ auri & argenti. „ Atqui cum dilectione Dei ſuper omnia non poteſt conſiſtere reatus culpæ, & averſio habitualis: ergo minima charitas juſtificat.

III. Omni dilectioni hominis reſpondet dilectio ex parte Dei; ſic Prov. VIII. 17. *Ego diligentes me diligo.* Joan. XIV. 21. ſeq. *Si quis diligit me . . . & Pater meus diligit eum,*

& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Atqui Deus non diligit nisi amicos: ergo omnis etiam remissa dilectio efficit hominem Dei amicum.

IV. S. Augustin. tract. I. in Epist. Joan. „Si „ quis in corde suo invenerit charitatem, se-„ curus sit, quia transiit de morte ad vitam. „; jam in dextra Dei est.„ Similia habent Patres alii passim.

Respond. ad I. *disting. maj.* perfecta charitas *habitualis*, vel *in- & extensive perfecta*, non potest consistere, cum peccato, *conc. actualis, remissa, nego:* de priore loquebatur Bajus, ut colligi potest ex prop. 37. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa* (hæc autem est habitualis) *Deus amatur.* Dein ejusdem Baji damnata fuit propositio 63. *Sed & illa distinctio duplicis Justitiæ, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit per inspirationem quidem Spiritus sancti cor ad pænitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis &c. rejicitur.* Item propositio 64. *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pænitentiæ & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & scripturis minime congruens.* Ex propositionibus istis

colligitur, BAJUM tantum admisisse eam charitatem habitualem. ex contradictoriis autem sequitur, dari quamdam Pœnitentis per charitatem inchoatam ad Deum conversionem, cui tamen habitualis charitas & justificatio non semper respondet.

RESPOND. ad II. Loquitur S. THOM. de gratia sanctificante, & charitate habituali (utpote semper connexa) sed tantum remissa: non autem de charitate actuali: ut legenti evidens est.

RESPOND. ad III. *Dist.* omni dilectioni hominis *perfectæ*, in- & extensæ, respondet dilectio Dei justificativa, *conc.* dilectioni *imperfectæ* seu initiali: *subdisting.* respondet dilectio Dei *beneficentiæ*, *conc. amicitiæ*, nego. est quidam in Deo erga omnes homines amor, quin tamen possit dici amicitiæ. Sic ut ait Joan. Ep. I. cap. IV. 10. *In hoc est Charitas: non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam Ipse prior dilexit nos:* nempe concedendo gratias actuales, quibus peccator ad pœnitentiam, ac denique perfectam cum Deo amicitiam eluctari valeat.

RESPOND. ad IV. *disting.* qui invenerit in corde suo charitatem, *perfectam, in- & extensam, conc.* qui solum *initialem*: *subdist.* transiit de morte ad vitam, *inchoatam*, *conc. Consummatam*, seu perfectam justificationem, *nego.* sensus posterioris distinctionis patet ex propositione BAJI 64. damnata: *Dilectio initialis vitam supernaturalem inchoat, quin tamen veram cum*

Deo

Deo amicitiam, qua Spiritus ſanctus in corde habitet, efficiat.

Objic. contra eandem. Charitas expellit omne peccatum: *ergo* charitas in minimo gradu non poteſt conſiſtere cum reatu peccati, ſeu cum macula habituali. 171

II. Non eſt ratio, cur inchoata charitas tollat actum & affectum peccati, & non etiam tollat reatum. Ergo.

III. Charitas inchoata eſt ejusdem ſpeciei cum perfecta & habituali. Ergo habet eundem effectum.

IV. Quod præſtat habitus habitualiter, hoc præſtat actus actualiter; atqui charitas habitualis juſtificat habitualiter: ergo charitas actualis juſtificat actualiter; atqui charitas remiſſa eſt tamen charitas actualis: ergo actu juſtificat.

V. Quodlibet peccatum mortale facit hominem inimicum Deo; quia hominem a Deo avertit: ergo etiam quilibet amor Dei facit hominem Deo amicum, & juſtum; quia illum ad Deum convertit.

VI. Ex his ſequeretur, quod pœnitens cum charitate initiali nondum juſtificatus, ſimul ad Deum converſus, & ſimul ab eo eſſet averſus; atqui hoc repugnat. Ergo.

VII. Si charitas inchoata non juſtificaret; ſequeretur, pœnitentem vere ad Deum per amorem perfectum converſum, ſi ante abſolutionem moriatur, damnari; quia nondum eſ-

ſet juſtificatus, in noſtris principiis; atqui hoc videtur abſurdum: ergo.

RESPOND. ad I. *diſting.* charitas *habitualis*, vel actualis in- & extenſive *perfecta*, expellit omne peccatum, *conc.* charitas actualis *remiſſa*: *ſubdiſt.* expellit peccatum quoad *actum* & affectum. *conc.* quoad maculam & reatum, *neg.* vel *ſubdiſt.* in caſu neceſſitatis, cum voto ſacramenti; ex ſingulari Dei benevolentia, *conc.* ordinarie, *neg.* Verum eſt, charitatem actualem expellere peccatum quoad actum & affectum; quia pro eo inſtanti, quo homo Deum ſuper omnia diligit, non peccat, nec habet affectum ad creaturam: ex hoc tamen non ſequitur, etiam reatum & maculam habitualem ſtatim tolli; nam ut S. AUGUSTINUS lib. I. de nupt. & concupiſc. cap. 26. & lib. VI. contra Julian. cap. 19. ac poſt ipſum ESTIUS & BELLARMINUS obſervant, remiſſio peccati & juſtificatio, prorſus gratuita eſt, dependens ab applicatione ſatisfactionis & meritorum Chriſti, quam homo neque mereri poteſt, nec Deus cuilibet actui remiſſo, ſaltem ordinarie, promiſit: prout etiam in humanis contingit, ubi non quilibet remiſſus actus deprecationis & amoris ſufficiens eſt ad perfectam cum offenſo reconciliationem. Tunc ergo Deus homini cenſendus eſt miſericorditer donare veniam, quando homo ex parte ſua facit id omne, quod moraliter loquendo poteſt. Sed qui ponit actum tantum remisſum, non facit id omne, quod poteſt. quid ſentiendum

tiendum ſit de caſu neceſſitatis, dicam Reſponſ. ad VII.

RESPOND. ad II. *neg. ant.* quod enim tollat actum & affectum, ratio eſt; quia non poteſt homo uno & eodem actu individuo tendere ad oppoſita. quod vero non tollat reatum, ratio eſt; quia remiſſio culpæ eſt opus ſolius miſericordiæ, non autem homini, etiam actu diligenti, debita; nam licet homo omnia faceret, quæcunque poteſt, adhuc non debetur ipſi venia, ſecluſa promiſſione, quam tamen actui remiſſo factam fuiſſe negatur.

RESPOND. ad III. *Diſt.* eſt ejusdem ſpeciei, non tamen ejusdem virtutis & efficaciæ, *conc.* ſecus, *neg.* ſic calor in primo gradu eſt ejusdem ſpeciei cum calore ut octo, non tamen uterque eundem habet effectum. Hinc dixit etiam CHRYSOSTOMUS homil. VII. in Epiſt. 2. ad Timoth. „ Sicut ignis, ubi ſilvam occupa- „ verit, omnia purgare conſuevit (quod uti- „ que non facit ſcintilla) ita charitatis NB. „ *fervor* quocunque inciderit, omnia perimit, „ atque perrumpit. „

RESPOND. ad IV. *neg. min.* hujus ſophiſmatis, quo vehementer gloriantur Adverſarii; effectus enim formalis charitatis habitualis non eſt hominem reddere *juſtificatum* habitualiter: ſed reddere habitualiter *diligentem:* ſicut effectus formalis charitatis actualis eſt reddere hominem actu diligentem. Si enim in rigore Thomiſtarum, & conformiter ad eorum principia, qui charitatem habitualem a

 gratia

gratia ſanctificante realiter diſtinguunt, loqui velimus, Juſtificatio eſt effectus formalis gratiæ ſanctificantis, quæ eſt participatio naturæ divinæ, facitque hominem Dei filium adoptivum, atque natura prius præcedit charitatem habitualem, quæ diffunditur in corde per Spiritum ſanctum inhabitantem. Alii diſtinguunt *Conſequens*. Charitas actualis juſtificat actu, juſtitia actus, id eſt, facit actum eſſe bonum honeſtum, *conc.* juſtitia habitus, tanquam hominem formaliter juſtificaret, faceretque Deo habitualiter gratum, amicum, & filium, *nego*.

Respond. ad V. neg. *conſeq.* Diſparitas eſt; quia quodlibet grave peccatum eſt gravis injuria & offenſa Dei, quæ habet intrinſecam cum Deo repugnantiam, & condignitatem ad reatum culpæ, pœnæ, indignationis divinæ, excluſionis a gratia: econtra non quilibet actus remiſſus tantæ eſt dignitatis, ut hominem iterum Deo reconciliet; uti etiam in humanis patet, quod plus requiratur ad amicitiam amiſſam recuperandam, quam ad eam amittendam. Verbo: non ſufficit ad reconciliationem cum Deo ſola hominis ad Deum converſio, ſed etiam requiritur converſio Dei ad hominem, quæ eſt prorſus gratuitus miſericordiæ actus, nec charitati etiam intenſæ per ſe debita, multo minus actui remiſſo. De promiſſione autem veniæ, (cuilibet actui charitatis debili facta,) non conſtat. Liceat argumentum invertere. Non quæ-

quælibet ad creaturam converſio reddit hominem Deo inimicum: ergo nec quælibet ad Deum converſio facit Deo amicum.

RESPOND. ad VI. *diſting.* ſequeretur, quod pœnitens eſſet *actu* ad Deum converſus, & *habitualiter* ab eo averſus, *conc.* quod eſſet *actu* converſus & averſus, *nego.* Hoc repugnat, non illud. Utique etiam in opinione Adverſariorum per attritionem actu & vere eſt ad Deum converſus, nec tamen juſtificatus ante abſolutionem, atque adeo habitualiter ab eo averſus. Ratio patet ex dictis; quia actui charitatis non eſt eſſentialiter annexa venia peccati, & amicitia Dei erga hominem, ſed eſt effectus ſolius miſericordiæ.

RESPOND. ad VII. *Retorqueo* in opinionem adverſariorum; nam etiam ſerviliter attritus, ſi ante abſolutionem moriatur, eſt quidem ad Deum converſus, nec tamen ſalvatur. Cæterum probabile videtur aut Deum ejusmodi caſum non permiſſurum, niſi in homine reprobato, in pœnam præteritorum peccatorum, quibus ſe gratiæ efficacioris reddidit indignum: vel daturum gratiam, ut iſtius hominis charitas ante obitum magis inflammetur; aut denique etiam intuitu Sacramenti, ſeu illius voti, hominem ejusmodi a Deo in gratiam recipiendum fore in caſu hoc extraordinario, quin tamen Deus hoc ordinarie facere ſoleat. Ratio eſt; quia AMBROSIUS non dubitat de æterna ſalute Valentiniani Imperatoris, qui Catechumenus obiit, quia

quia ut ait in ejus oratione funebri, *si suo abluuntur sanguine* (Catechumeni martyres) *& hunc sua pietas abluit, & voluntas.* Plura quoque Concilia volunt, ut pro catechumenis pœnitentibus sine Sacramenti susceptione mortuis preces fundantur: uti CARTHAGINENSE IV. can. 79. VASENSE can. 2. ARELATENSE II. can. 12. adeoque supponunt, Sacramenti voto fuisse justificatos. Neque tamen semper contingit, ut talium pœnitentium in agone Charitas debitam charitatis in- & extensionem attingat. vid. etiam cap. 28. de sent. excom.

172 RESOLUTIO V. Ut contritio perfecta extra Sacramentum justificet, non requiritur certa duratio temporis, 2. requiritur tamen intensio tam ex parte actus, soli Deo cognita, 3. quam intensio virium, & extensio. Sensus patet ex n. 128. seq.

Prob. I. pars. Non potest sufficienter probari necessitas ejusmodi durationis; maxime, cum per gratiam Dei efficacem in momento haberi possint ea omnia, quæ ab homine Deus requirit. Hinc ait LEO M. Epist. 91. „ Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud „ quem nullas patitur veniæ moras vera con„ versio. „ David cum dixerat ad Nathan. *Peccavi Domino:* audiit ab eo statim: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* II. Reg. XII. 13.

173 *Prob. II.* pars. Intensionem ex parte actus manifeste requirere videtur Catechismus

mus Romanus Concil. Trid. n. 163. cit. poteſtque etiam ſuaderi ex eo: quod SS. Patres paſſim ad juſtificationem requirant amorem prævalidum, prædominantem: qui his verbis videntur quamdam actus intenſionem denotare. Dein S. THOMAS in IV. D. XVII. Q. II. Art. V. quæſtiunc. 3. ad quæſtionem: an parva contritio ſufficiat ad deletionem magnorum criminum, Reſpondet: „ Contri-
„ tio habet duplicem dolorem. Unum ratio-
„ nis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi;
„ & hic poteſt eſſe adeo parvus, quod non
„ ſufficiat ad rationem contritionis, ut ſi
„ minus diſpliceret ei peccatum, quam de-
„ beat diſplicere ſeparatio a fine; ſicut etiam
„ amor poteſt ita eſſe remiſſus, quod non
„ ſufficiat ad rationem charitatis (perfectæ.)
„ Alium dolorem habet in ſenſu; & parvitas
„ hujus non impedit rationem contritionis:
„ quia non ſe habet eſſentialiter ad contritio-
„ nem - - - ſic ergo dicendum, quod quan-
„ tumcunque parvus ſit dolor, dummodo ad
„ contritionis (perfectæ) rationem ſufficiat,
„ omnem culpam delet. „

Circa hunc textum, quem D. AMORT in- 174
tenſioni actus charitatis objicit, *obſervandum* 1. Juxta S. THOMAM dolor rationis tunc ad contritionem perfectam non ſufficit, quando *minus* diſplicet peccatum. In ipſo ergo dolore rationali datur major ſeu minor diſplicentia, hoc eſt, intenſio ipſius actus, quam *debeat* diſplicere ſeparatio a fine; non dicit: quam

quam displiceat; si enim minus displiceret peccatum, quam separatio a Deo: tunc tali magis placeret peccatum, quam Deus, æterna beatitudo, a quo per peccatum separatur, sicque non amaret Deum appretiative super omnia: quod tamen ad contritionem in sensu D. Th. requiritur, qui contritionis nomine semper intelligit dolorem ex amoris motivo elicitum. Vult ergo, illum dolorem rationalem constituere perfectam contritionem, & delere peccata, quando *in tantum* ei peccatum *displicet*, *quantum displicere debet* separatio a Deo: atqui hæc debet vehementer, seu intense, intensione rationis displicere; igitur ex mente D. Th. requiritur intensio contritionis seu actus: quamvis non sit sensibilis quoad delectationem, redundantem in sensus externos, expressionem lacrymarum, suspiriorum &c. *Observandum.* 2. juxta D. Th. *amor potest esse adeo remissus, ut non sufficiat ad rationem Charitatis.* Hæc S. D. verba necessario debent exponi de charitate *intensive* perfecta, & justificante; si enim loqueretur tantum de simplici actu, seu substantia charitatis ex solo motivo perfectæ, tunc manifeste falsum diceret; cum utique minimus gradus amoris, ex debito motivo elicitus, sit verus actus charitatis tertiæ virtutis theologicæ. Ex quibus sequitur, non quemlibet actum amoris ex motivo perfecti, quo Deus super omnia appretiative diligitur, constituere charitatem perfectam justificantem extra Sacramentum. S. Thomæ mens insuper colligitur

ligitur ex ejus verbis n. 169. allegatis. Item Q. XXVIII. de Verit. A. VIII. ad 3. „ Dicendum, quod contritio ab attritione (hoc „ nomine intelligit contritionem remiſſam) „ præcedente non differt ſolum ſecundum „ intenſionem doloris, ſed etiam ſecundum „ informationem gratiæ. „ Tandem in IV. D. XVII. Q. I. A. III. quæſt. 4. ad 1. ad remiſſionem peccati ſupponit requiri fervorem charitatis. „ Fervor dilectionis, *ait*, de neceſſitate ſecum conjunctum habet odium „ contrarii: & ideo fervor dilectionis ad dimiſſionem culpæ non operatur ſine deteſtatione peccati &c. „

Eadem pars prob II. S. Scriptura non 175
promittit gratiam juſtificationis cuicunque converſioni, ſed ei, quæ fuerit ex toto corde, ex tota tribulatione animæ, ut Deut. IV. 29. & Michæ. IV. 10. *dole & ſatage filia Sion, quaſi parturiens* &c. Joel. II. *ſcindite corda veſtra* &c. Dein juxta D. Amort requiritur intenſio virium, & extenſio: atqui utrumque vix concipi poteſt ſine intenſione actus; vix enim homo proponet ſeria & efficacia media emendationis, & obſervantiæ mandatorum, item exercendi actus amoris gratuitos, quærendi divinum beneplacitum, niſi major fuerit charitatis intenſio, ſeu fervor, quod experientia conſtare arbitror. Ergo intenſio actus cum intenſione virium & extenſione ſemper conjuncta eſſe videtur.

Prob. III. pars, requiri intenſionem vi- 176
rium, & extenſionem ad actus amoris acciden-

dentales, ſeu non præceptos. Gratia juſtificationis extra Sacramentum non confertur ex opere *operato*, ſed *operantis*, & hoc caſu non conceditur gratia, niſi homo ex parte ſua agat id omne, quod poteſt cum gratia: atqui ſine intenſione virium & extenſione non agit pœnitens id omne quod poteſt: *ergo* ſine hac non conceditur ipſi gratia juſtificationis. *Maj.* eſt S. Thomæ, & communiſſima; quia gratiam juſtificationis extra Sacramentum pœnitens quodammodo mereri debet merito de congruo late ſumpto. *min.* prob. homo non facit id omne, quod poteſt, nec de congruo late meretur veniam, niſi *primo* velit conſtanter ſervire Deo, & ſtudio bonorum operum promereri perſeverantiæ donum: niſi 2do velit Deo placere per totam vitam in omnibus actionibus, quantum fragilitati humanæ cum gratia poſſibile eſt: niſi 3. velit Deo compenſare offenſam congrua ſatisfactione; atqui hæc tria haberi nequeunt ſine intenſione virium, & extenſione ad actus amoris accidentales. Ergo &c.

177 *Prob. II.* Et confirmatur argumentum præcedens: S. Paulus in peccatore in ordine ad juſtificationem extra Sacramentum poſtulat pœnitentiam fortem, fervidam, & ea omnia, quæ prius fuerunt enarrata: ergo ſolus actus amoris debilis non ſufficit ad juſtificationem. *antec.* prob. Ad Hebr. X. ita ait: „ Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam „ notitiam veritatis, jam non relinquitur pro

„ pec-

„ peccatis hoſtia (ſeu facilis quædam extra „ Sacramentum venia) terribilis autem quædam exſpectatio judicii. - - Irritam quis „ faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione moritur: Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum „ duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui „ gratiæ contumeliam fecerit? - - - Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum - - - Nolite itaque omittere confidentiam - - - Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. & cap. „ XII. Ideo deponentes omne peccatum, & „ circumſtans nos peccatum per patientiam „ curramus ad propoſitum nobis certamen „ - - - ut ne fatigemini animis deficientes „ nondum enim usque ad ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes - - - „ Itaque ſerviamus placentes Deo cum metu „ & reverentia. cap. XIII. Deus pacis aptet „ vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe. „ Ex his verbis evidenter colligitur, ad veram pœnitentiam juſtificativam requiri dictam intenſionem virium & extenſionem; ſi ergo pœnitens eam non habet, non facit, quod eſt in ſe, nec venia dignus eſt. Idem Apoſtolus de pœnitentia Corinthiorum Epiſt. II. cap. VII. loquens, eam ſic de-

defcribit: „ Ecce enim hoc ipfum, fecundum Deum contriftari vos, quantam in vobis operatur folicitudinem, indignationem, timorem, defiderium, vindictam &c. „

178 *Prob. III.* Juxta Concil. Trid. cap. 2. ne quidem in Sacramento pœnitentiæ remittitur omnis reatus pœnæ fine magnis noftris fletibus & laboribus, divina fic exigente juftitia: qui utique in- & extenfionem requirunt: ergo extra Sacramentum fine ejusmodi extenfione non remittitur culpa.

IV. Id ipfum clariffime docent SS. Patres, quorum aliquos n. 19. allegavi, magnoque numero legere eft apud D. Amort. Audiatur vel unus Cæsarius Arelat. hom. 29. „ Non putemus tam facile remitti poffe admiffa femel crimina. Multo opus eft fletu, multo gemitu, tota incumbendum eft fpiritus compunctione. Non fufficit fummis labris dicere: peccavi, parce, remitte. Et Saul dicebat: peccavi; & non obtinuit veniam, & quare? quia non compenfabatur cum magnitudine criminis levis humiliatio fupplicantis. Non levi agendum eft contritione, ut debita illa folvantur, quibus mors æterna debetur. „ In hunc fenfum & alii.

CAPUT

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE.

Altera Sacramenti pœnitentiæ pars eſt peccatorum Confeſſio diſtincta & explicita, quam græci communiter exhomologeſin appellant: etſi hoc nomine quandoque totum ritum pœnitentiæ, aliquando vero ultimum illum ſolemnis pœnitentiæ ritum intelligant, quo pœnitentes humi proſtrati, ac cum fletibus veniam exorantes communioni Eccleſiæ per reconciliationem ſolemnem reſtituebantur. Hic inquirimus, 1. an divino jure inſtituta ſit diſtincta peccatorum confeſſio? 2. quæ ejus materia? 3. de variis confeſſionum generibus. 4. De ejus neceſſitate, præcepto, veritate, integritate.

§. I.

De divina Confeſſionis inſtitutione.

De Confeſſione diſtincta peccatorum, quæ 179
ſecreto fieri ſolet Sacerdoti, & propterea auricularis appellatur, hic agimus: primus, qui divinam Confeſſionis inſtitutionem impugnavit, fuiſſe videtur WICLEFUS, qui eam ab Eccleſia inſtitutam, & homini debite contrito inutilem ac ſuperfluam eſſe docuit. Huic addunt nonnulli HUSSUM; ſed contrarium oſtendunt Fratres Walenburgici. Majori jure huc refertur Petrus de Os-

MA, MICHAEL Bononienſis, ERASMUS Roterodamus, Beatus RHENANUS, ac nuper RIGALTIUS, idem cum Wiclefo ſentientes. LUTHERUS, quamvis pœnitentiam Sacramentum eſſe aliquando admiſerit & in Catechiſmo minori voluerit, ut peccata graviora Miniſtro ſingillatim exponantur, docent tamen Lutherani hodie communius, non eſſe hoc a Chriſto præceptum, nec confeſſioni deſtinctæ peccatorum per ſe aliquam ineſſe vim ad juſtificationem. Calvinus diſtinguit duplicem confeſſionem, unam generalem, qua quis divinæ legis transgreſſorem ſe agnoſcit, & profitetur. Alteram particularem, qua, quid in ſpecie contra Deum commiſerit, fatetur. Primam putat fieri debere tum Deo tum homini, niſi fuerit peccatum in hominem commiſſum, aut in communitatem, cujus ſe coram Eccleſia reum fateri debet. Cæteram ſecretam peccatorum ſingulorum confeſſionem, ut in Eccleſia fit Romana, ceu utilem laudat, dummodo quis libere faciat, nec ullo præcepto divino, aut neceſſitate ſe ad id adactum credat, tunc enim carnificina foret conſcientiæ, & tyrannis intoleranda. Contra hos ſtatuitur

180 RESOLUTIO. Diſtincta peccatorum gravium apud ſacerdotem Confeſſio eſt a Chriſto præcepta, & in Eccleſia continuo uſitata. Eſt definitum dogma in Concil. Trident. Seſſ. XIV. Can. 6. ſeq.

Prob. I. pars. A Chriſto inſtituta fuit poteſtas ligandi & ſolvendi, remittendi peccata,

cata,

cata, ut probatum fuit cap. II. ergo a Chriſto inſtituta quoque fuit diſtincta peccatorum poſt Baptismum commiſſorum confeſſio. *Conſeq. prob.* Ut judex poſſit reum abſolvere, vel condemnare, debet prius in cauſa cognoſcere, ut de gravitate criminis, diſpoſitione rei &c. poſſit determinare: atqui Sacerdos non poteſt cognoſcere aliunde, niſi Pœnitens ſe ipſum manifeſtet, & peccata ſua confiteatur: ergo ut judiciaria poteſtas ſuum habere queat effectum, pœnitens ſe ipſum accuſare, & ſtatum animæ ſuæ diſtincte exponere debet.

Prob. II. pars. Uſus diſtinctæ peccato- 181
rum Confeſſionis in nullo Concilio legitur inſtitutus; omnes Eccleſiæ tam in oriente, quam occidente jam ante magnum ſchisma Græcorum, & poſtea adhuc eam retinebant; Ipſi Montaniſtæ & Novatiani, qui Eccleſiæ poteſtatem remittendi ad crimina leviora reſtringebant, confeſſionem tamen non impugnabant: quod autem ubique, quod ſemper, quod ab omnibus retentum eſt, *non eſt erratum*, *ſed traditum*, ut loquitur TERTULLIANUS, & ad Chriſti inſtitutionem referendum eſt, juxta vulgatam S. AUGUSTINI regulam. Porro textus Patrum pro quovis ſæculo legere eſt paſſim apud theologos dogmaticos v. g. HABERT, WITASSIUM, TOURNELIUM, COLLETUM, JUENIN, DROUVEN &c. cum reſponſis ad objectiones Hæreticorum ex Patrum textibus factas: ergo.

182 *Prob. III.* Ratione, qua Henricus VIII. Rex Angliæ lib. de ſeptem Sacramentis adverſus Lutherum divinum Confeſſionis inſtitutum propugnavit. „ Verum, inquit, ſi de
„ confeſſione verbum nullum neque nominatim,
„ neque in figura legeretur, neque
„ quidquam a Sanctis Patribus diceretur, tamen
„ cum videam totum populum tot ſæculis
„ peccata ſua pateſacere ſacerdotibus,
„ cum ex ea re tam aſſidue videam tantum
„ bonum proventum, tam nihil enatum mali;
„ aliud neque credere, neque cogitare
„ poſſem, quam eam rem non humano Conſilio,
„ ſed divino plane mandato & conſtitutam
„ eſſe, & conſervatam. Neque enim
„ ulla humana auctoritate populus unquam
„ potuiſſet adduci, ut occultiſſima ſcelera,
„ quorum tacitam conſcientiam horrebant,
„ quæ ne prodirent in lucem, tanti referebat
„ ipſorum, in alienas aures, qui poſſet,
„ cum vellet prodere, tanto cum pudore,
„ tanto cum periculo tam incunctanter efſunderent:
„ neque fieri potuiſſe, cum tam
„ numeroſi Presbyteri, boni, malive, qui
„ promiſcue confeſſiones audiunt, ut audita
„ continerent, etiam hi, qui alias nihil continent;
„ niſi Deus ipſe, qui Sacramentum
„ inſtituit, rem tam ſalubrem ſpeciali gratia
„ defenderet. Mihi ergo, quidquid ait Lutherus,
„ non ex aliqua populi conſuetudine,
„ nec ex inſtitutione Patrum, ſed ab ipſo
„ Deo videtur inſtituta, & præſervata confeſſio.
„ Hæc quondam *fidei defenſor* Henricus,

RICUS, qui poſtea addit: „ Nunc igitur „ judicet quisque, quam vere ſentit Lutherus, qui contra ſanctorum omnium ſententiam claves Eccleſiæ trahit ad laicos, trahit ad mulieres, & ait, verba Chriſti: *quæcunque ligaveritis* &c. non ſacerdotibus tantum, ſed omnibus dicta. „ & certe, niſi divinitus inſtituta fuiſſet res adeo difficilis, ſed ab hominibus; moraliter impoſſibile fuiſſet, ut citra ullam populi renitentiam, citra querelas, citra tumultus, tam grave jugum ſuſciperetur: cum tamen occulta crimina ipſa prope natura ſummo ſtudio celare imperet. At neque de inſtitutione humana, nec de ulla populi contradictione quidpiam in Hiſtoria legitur: igitur non ab Eccleſia, ſed a Deo ipſo inſtitutam fuiſſe auricularem confeſſionem neceſſe eſt.

OBJIC. I. ſæculo IV. NECTARIUS Patriar- 183
cha Conſtantinopolitanus abrogavit Pœnitentiarium Sacerdotem, & cuilibet permiſit juxta ſuam conſcientiam absque ulla confeſſione ad Sacramenta accedere; ergo confeſſio non eſt juris divini, quod nullam mutationem ſubire poteſt. *Antec. prob.* ex SOCRATE lib. V. cap. 19. & SOZOMENO lib. VII. cap. 16. qui hæc narrat: „ In Conſtantinopolitana Eccleſia certus Presbyter conſtitutus „ erat, qui Pœnitentibus præeſſet; donec „ matrona quædam nobilis ob peccata, quæ „ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc Presbytero „ jejunare, ac Deum ſuppliciter orare, dum

„ hujus rei caufa in Ecclefia moraretur, a
„ Diacono fe ftupratam effe prodidit, quo
„ cognito plebs omnis vehementer fuccen-
„ fuit - - Nectarius vero eum, qui ftuprum
„ admiferat, diaconatu exuit. Cumque
„ nonnulli confilium ei dediffent, ut unicui-
„ que, prout confcius effet, ac fiduciam fui
„ haberet, ad facrorum Myfteriorum com-
„ munionem accedendi liberam faceret pote-
„ ftatem, Presbyterum, qui agendæ pœni-
„ tentiæ præpofitus erat, abolevit. Atque
„ ex eo tempore id firmum ac ftabile perman-
„ fit. „

Respond. Nectarius non abrogavit confeffionem, fed munus Pœnitentiarii, quod tempore Novatianorum poft perfecutionem Decii fuerat inftitutum. Hic erat pœnitentiæ publicæ præpofitus, ita, ut hunc accedere omnes deberent, qui criminis canonici rei erant. Hic non iis tantum peccatis, quæ pœnitentes fponte fuerant confeffi, imponebat publicam pœnitentiam, fed etiam audiebat delationes, inquirebat in mores fingulorum, arguebat reos, teftibus convincebat, & donec pœnitentiam impofitam perfolviffent, a facris Myfteriis arcebat: imo etiam aliquando, fi e re videbatur, imperabat, ut peccatum fuum publice coram Ecclefia confiterentur. Hoc itaque Nectarius fuftulit, ne Pœnitentes deinceps fua crimina publice confiteri cogerentur, neque Sacerdos crimina fibi clam delata manifeftaret, abrogato Pœnitentiarii munere, non autem abrogata

fecre-

ſecretæ ac diſtinctæ confeſſionis obligatione, quam juris divini anteceſſores eſſe crediderunt, & ſucceſſores quoque ſollicite urgere conſueverunt. Ex illo ergo tempore ceſſavit criminum delatio per teſtes, ceſſavit obligatio publice confitendi, & pœnitendi, reſpectu illorum, qui ſponte nolebant ſuum crimen fateri: ceſſavit publica a ſacris Myſteriis remotio: remanſit autem obligatio & conſuetudo, ut qui gravis alicujus peccati ſe reos agnoſcerent, Epiſcopum, aut Presbyterum quemdam accederent, ſua peccata ſecreto confiterentur, pœnitentiamque ab eo impoſitam etiam publicam, ſi ita juſſerit, perſolverent.

Neque obſtat, quod dicant citati ſcriptores: *liberam cuivis fuiſſe deinceps poteſtatem pro animi ſui conſcientia ad ſacram communionem accedere.* Hoc enim tantum probat, quod publica criminum delatio fuerit abolita, nec potuerit quis violenter a ſacris arceri; quia ex illo tempore ſupponebatur, neminem, qui gravis delicti reus foret, absque præmiſſa privata confeſſione ad tremenda myſteria acceſſurum; cum antea Pœnitentiarius Presbyter pro ſuo munere facinoroſos ſibi accuſatos publice arceret. Nam ut ſcribit ORIGENES lib. III. contra Celſum, „ apud Chri-
„ ſtianos quidam ſunt conſtituti, ad inquiren-
„ dum in vitam & mores eorum, qui ad ſa-
„ cra ipſorum accedunt, ut eos, qui turpia
„ perpetrarent facinora, publicis ipſorum
„ conventibus arceant. „

184 Objic. II. Chrysostomus, Nectarii ſucceſſor, homilia XXI. ad populum Antiochenum ait, „ Deus non cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enuntiare, „ ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri, „ *ergo* Confeſſio, homini facienda, non eſt a Deo præcepta.

II. Idem Homilia III. quæ eſt V. de incomprehenſibili Dei natura: „ Non te in theatrum conſervorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Expande coram Deo conſcientiam tuam &c. „ *ergo* &c.

III. Idem Sermon. LVIII. Tom. V. adhortans ad pœnitentiam, & difficultatem verecundiæ removens, ait. „ Jam vero neque „ neceſſarium eſt teſtibus præſentibus confiteri. Apud conſcientiæ rationem fiat inquiſitio delictorum. Sine teſtibus fit judicium. Deus te confitentem ſolus audiat. „ Item Homilia IV. de Lazaro Tom. V. „ Cur igitur, quæſo, pudeſcis, & erubeſcis dicere „ peccata tua? num enim homini dicis, ut „ te probro afficiat? num enim conſervó confiteris, ut in publicum proferat? Imo vero ei, qui Dominus eſt, & qui tui curam „ gerit, & qui humanus eſt, ei, qui medicus eſt, oſtendis vulnera; neque enim ignorat, etiamſi non dixeris. „ &c. Ergo ſoli Deo confiteri ſufficit, nec neceſſe eſt homini confiteri.

Respond. ad I. Alloquitur Chrysostomus Catechumenos, qui utique præcepto Confeſſionis non tenebantur. Homilia enim illa inſcripta eſt ad illuminandos.

Respond. ad II. & III. Chrysostomus id unum vult, non eſſe neceſſariam *publicam* peccatorum Confeſſionem. Ait, ſufficere confeſſionem ſoli Deo factam in ordine ad delenda peccata per *virtutem pœnitentiæ*, & extra Sacramentum, *Conced.* in ordine ad implenda Dei præcepta, *nego.* Ait, non eſſe neceſſe confiteri hominibus *publice*, *conced. privatim*, *nego.* Vult, non eſſe neceſſe, ut Confeſſio præmittatur ſacræ communioni, *transeat*, hæc enim eſt diſtincta quæſtio, quonam tempore præceptum Confeſſionis obliget: vult nunquam eſſe neceſſariam confeſſionem, *nego.* Denique etiam dici poteſt, confeſſionem, quæ privatim ſacerdoti fit, ſoli Deo fieri; tum quia Sacerdos Dei vices in ſacro tribunali agit; tum quia ad ſtrictiſſimum ſilentium omni jure naturali, divino, & humano obligatur. Nam Tertullianus, qui pro auriculari confeſſione ſtat ſine dubio, ait tamen lib. de pœnitentia cap. 9. *Exhomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro.* Anastasius ſynaita homil. I. de ſynaxi. *Confitere Chriſto per Sacerdotes peccata tua.* Fulgentius in formula Confeſſionis apud Hugonem Menardum ad Sacramentarium Gregorii Magni, ubi pœnitens ait Sacerdoti: *Confiteor tibi Pater Domine*

ne cœli & terræ: multa mala cogitavi &c. Item in Libello JOANNIS jeiunatoris: *Confiteor*, inquit peccator, *tibi Rex cœli* &c. & in libello pœnitentiali ECBERTI: *Sacerdos preces fundit pro iis, qui Deo peccata sua Confessi sunt.*

185 OBJIC. III. Si veteres confessionem jure divino necessariam judicassent, non neglexissent illam utique in articulo mortis, atqui non legitur confessionis usus ante mortem. Ergo.

II. Si tantopere necessaria fuisset, & usitata confessio, tunc utique veteres, qui sanctorum vitas descripserunt, eosdem haud dubie laudarent, quod vel ipsi hoc Sacramento sæpe usi fuerint, aut in eodem pœnitentibus administrando fuerint solliciti, & continui, quemadmodum id legitur de sanctis recentioribus: atqui hoc non legitur de antiquis, ergo.

III. GRATIANUS ad finem cap. 89. XXXIII. Q. 3. de pœnit. dist. I. ait, utrumque probabile esse; & peccata soli Deo confiteri sufficere, & necesse esse sacerdoti confiteri, & pro utraque parte citat auctores Religiosos, & sapientes viros. Ergo &c.

IV. Confessionis auricularis præceptum sæculo demum XIII. in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio can. *omnis utriusque*. latum fuit. Ergo &c.

RESPOND. ad I. nego *min.* nam præter alios S. CYPRIANUS lib. de lapsis. „ Confiteantur singuli, ait, delictum suum, dum

„ ad-

„ adhuc, qui deliquit, in fæculo eſt, dum „ admitti Confeſſio ejus poteſt. „ LEO Magnus Epiſt. LXXXII. „ Multum utile ac neceſſarium eſt, ut ante mortem peccatorum „ reatus ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur. „ VICTOR Uticenſis Chriſtianos in perſecutione Wandalica ſic inducit loquentes ad Epiſcopos in Concilium miſſos: „ Qui nobis poenitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum „ vinculis ſoluturi? „ Plurimos alios teſtes confeſſionis ante mortem depoſitæ refert WITASSE. pag. 292.

℞. ad II. Olim quidem non frequens adeo fuit confeſſionis uſus, ut hodie; quia plurimi Baptismum differebant usque ad exitum. 2. Quia plurimi innocentiam Baptismalem nullo gravi peccato amiſerunt. 3. Quia qui ſemel peccaverant, non niſi cum graviſſimis laboribus ad poenitentiam admittebantur. 4. Quia olim Confeſſio ſpectabatur tunc ut officium neceſſitatis, hodie etiam pietatis; hinc frequentius repetitur. Nunquam tamen propterea conceſſerim, nullum fuiſſe confeſſionis apud veteres uſum. Sic commendatur a PAULINO S. Ambroſii ſingularis humanitas in audiendis confeſſionibus, Denique tot conſcripti libri Poenitentiales abunde teſtantur, frequentem quoque confeſſionum apud antiquos fuiſſe uſum.

℞. ad III. Dicunt nonnulli, Gratianum non fuiſſe aſſecutum mentem illorum auctorum

rum, atque aliunde defectu Criticæ passim auctores spurios consarcinasse, sicque nullius esse authoritatis.

Resp. Gratianum loqui de ea quæstione, quæ tunc temporis inter doctores agitabatur, an perfecta contritio, etiam sine Sacramento, peccata delere queat; quod negabant non nulli, necessario requirentes actualem confessionem, & Sacramenti susceptionem. De quibus dictum est supra: cæterum confessionis necessitatem, ubi facultas suppetit, ipse agnovit Gratianus can. LXXXVIII. loc. cit. ubi adducit verba Magistri sententiarum. Legatur & cap. 87. integrum.

ad IV. respondet Concil. Trident. „ Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. „ Non statuitur ergo lex nova, sed legis divinæ determinatur tempus.

§. II.

De Materia Confessionis.

186 Materia Confessionis sunt peccata post Baptismum commissa, ut constat ex dictis, sunt autem quædam peccata gravia, alia levia,

levia, ſeu venialia, gravia item quandoque ſpecie & numero diverſa, & quidem in eodem actu. Dantur etiam peccatorum circumſtantiæ, quæ peccati ſpeciem quidem non mutant, ſed tamen intra eandem ſpeciem notabiliter malitiam peccati aggravant. Hæ autem circumſtantiæ poſſunt ſe tenere vel *ex parte actus*, v. g. duratio, intenſio actus, advertentia clara ad malitiam, cum poſitiva deliberatione. Vel ex parte *Perſonæ* peccantis: Deo ad majorem gratitudinem obſtrictæ ob majora recepta beneficia. Circumſtantia, *loci* vel *temporis* &c. vel ſe tenent ex parte *objecti*, ut e. g. damni illati gravitas, comparate etiam ad perſonam damnificatam. Gravitas ſcandali commiſſi a Perſona publica, ſuperiore, Sacerdote, Religioſo, qui facile alios ad ſequelam trahunt. Conſequentia effectuum: ut ſi quis calumniam aut mortem machinetur viro gravi, Eccleſiæ bono utili, aut neceſſario. Perſonarum, in quas peccatur, conditio, ſpecialis obligatio gratitudinis erga Perſonam, in quam peccatur. De his circumſtantiis intra eandem ſpeciem aggravantibus quæritur, an ſint neceſſario exponendæ.

Eadem quæſtio eſt de peccatis dubiis, 187
Eſt autem aliud dubium *juris*, aliud *facti*, prius eſt, quando dubitatur, an actus comprehendatur ſub lege præcipiente vel prohibente, graviter vel leviter, naturali, divina, vel humana. Dubium facti, quando dubitatur

tur, an actus, qui scitur prohibitus, fuerit revera positus, & quidem cum deliberatione plena & advertentia, aut qui scitur prohibitus & positus, dubitatur tamen, an jam aliquando confessioni fuerit subjectus. Potest etiam dari dubium *mixtum*, v.g. an detractio fuerit gravis, & cum plena advertentia commissa. &c. Dubium iterum aliud est *stricte* dictum, cum æqualia in utramque partem stant motiva, ita ut intellectus pro neutro se resolvere possit, aliud *late* dictum, cum homo probabilius seu verosimilius judicat, se actum commisisse vel non, cum aliquali tamen formidine de opposito. Aliud etiam est dubium *positivum*, aliud *negativum*. prius vere coincidit cum dubio stricte tali: posterius dicunt, quando pro neutra parte stat sufficiens ratio extorquens assensum, aut una ab alia eliditur. His observatis &c.

188 Resolutio I. Materia confessionis necessaria sunt 1. peccata gravia post baptismum commissa, specie & numero distincta: 2. venialia sunt materia sufficiens, 3. ordinarie libera, 4. quandoque etiam necessaria.

Prob. I. pars. Quæ est definita a Concil. Trident. Nam Pœnitentiæ sacramentum lapsis post baptismum necessitate præcepti divini necessarium est; cum sit medium ordinarium pro remissione peccatorum. Ergo gravia peccata judicio sacerdotis sunt subjicienda. Colligitur id quoque ex §. præcedenti. Quod etiam distincte exponi debeant peccata,

ta, quæ ſpecie & numero variant. Ratio ex Tridentino eſt; quia Confeſſarius debet ferre judicium de ſtatu pœnitentis, & pœnitentiam ei proportionatam injungere: atqui hoc præſtare non poſſet, niſi circumſtantiæ ſpeciem & numerum peccati variantes, ſingulaque peccata diſtincte exponerentur; neſciretur enim, quid ſolvendum, quidve ligandum ſit: ergo &c.

Prob. II. pars. Poteſtas clavium illimitate a Deo conceſſa, nec ſolum ad gravia pec- 189
cata reſtricta fuit: ergo etiam venialia peccata eidem ſubſunt, conſequenter ſunt materia ſufficiens. Sic etiam TERTULLIANUS, utut Montaniſta, diſtinxit inter peccata levia & remiſſibilia per Eccleſiam, cum graviora a ſolo Deo remitti poſſe, cum aſſeclis contenderit.

Prob. III. pars. Venialia peccata eſſe 190
materiam ordinarie liberam, in primis ex Trident. Concil. quod clare hoc aſſerit ſeſſ. XIV. Cap. V. 2. ex Patribus, qui docent, multis aliis modis venialia deleri poſſe: ut recitatione orationis Dominicæ, uſu ſacramentorum, contritione &c.

RATIO eſt; quia eſſet fere impoſſibile, & viribus humanis improportionatum, omnia venialia neceſſario exponere, in quæ ſinguli toties & quotidie labimur, & a quibus ſine privilegio prorſus extraordinario homo abſtinere non poteſt.

RATIO ulterior eſt. Pœnitentiæ ſacramentum per ſe primario eſt ſacramentum mortuo-

rum, inſtitutum ad vivificandos ſpiritualiter mortuos, & redintegrandam hominis cum Deo amicitiam; atqui peccata venialia vitam animæ, divinamque amicitiam non tollunt, cum venialium maculæ etiam juſtis adhæreant. ergo &c.

191 *Prob. IV.* pars, venialia quandoque eſſe materiam neceſſariam. Lex Eccleſiaſtica annuæ confeſſionis obligat indiſcriminatim omnes utriusque ſexus fideles, ut, poſtquam *ad* annos diſcretionis pervenerint, proprio ſacerdoti ſua peccata confiteantur; atqui contingit frequentiſſime, ut peccatorum gravium rei non ſint, ſed ſolorum venialium: ergo eo caſu unum ſaltem veniale, quoniam unum ſine altero dimitti poteſt, confitendum eſt, ut præcepto Eccleſiæ fiat ſatis.

Ratio ulterior eſt. Si Eccleſia eos tantum voluiſſet obligare, qui peccati mortalis ſibi conſcii ſunt: non potuiſſet indiſcriminatim eos ſepultura Eccleſiaſtica privare, qui ſemel in anno confeſſi non fuerint, nec fideles ad hoc præceptum poſſet efficaciter adſtringere; quia quisque reponere poſſet, ſe gravis peccati ſibi conſcium non eſſe. Imo ſequeretur, eos omnes, qui paſchali tempore confitentur, periculum famæ ſuæ incurrere, ſi ſupponeretur, graves tantum peccatores hoc præcepto teneri. Accedit, quod per ſacros Canones Clementin. in *agro dominico* de ſtatu Monachorum &c. Religioſis præceptum ſit, ut ſingulis menſibus ſaltem ſemel confiteantur: atqui de iis ordinarie non poteſt ſupponi grave peccatum,

catum, igitur ab ipſis venialia ſunt confitenda. Chrodegangus ſuis canonicis injunxerat confeſſionem hebdomadariam.

Resolutio II. Circumſtantiæ intra ean- 192
dem ſpeciem notabiliter aggravantes in confeſſione neceſſario ſunt exponendæ.

Prob. I. Ratio Concilii Tridentini pro peccatis ſpecie & numero diverſis, etiam pugnat pro circumſtantiis intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantibus; ideo enim priora debent exponi, ut Confeſſor rectum judicium formare de ſtatu peccatorum, & proportionatam gravitati delictorum injungere poſſit ſatisfactionem: ergo etiam poſteriores debent exponi; quia & hæ notabiliter variant judicium confeſſarii, & proportionem ſatisfactionis; utique enim aliam ſatisfactionem peragere debet, qui civi mediocri centum florenos furatur, quam qui Regi unum aureum. & ſic de aliis.

Prob. II. Eccleſia vetus voluit circum- 193
ſtantias etiam ſolum aggravantes explicari, iisque proportionatam pœnitentiam injungi: ergo id etiam hodie neceſſarium eſt. *anteced.* probatur. Author lib. de vera & falſa pœnitentia ſub nomine Auguſtini relatus a Gratiano cap. 1. Diſt. V. de pœnitentia id clare oſtendit. 2. ita etiam Pœnitentiale Romanum ſæc. VI. uſitatum hæc habet §. I. „ Si laicus homicidium fecerit, tres annos pœniteat, ſubdiaconus ſex, diaconus ſeptem, Presbyter decem, Epiſcopus duodecim. Si quis for-

„ nicaverit cum viduis, annum unum pœni-
„ teat, ſi cum puellis duos annos, ſi quis pe-
„ jeraverit pro qualibet neceſſitate coactus,
„ pœniteat unum annum in pane & aqua, &
„ eleemoſynas multas faciat, ſi quis pejera-
„ verit per cupiditatem, totas res ſuas ven-
„ dat, & donet pauperibus, & intret mona-
„ ſterium, & ita porro. „

194 *Prob. III.* Concilium Wormatienſe anno 869. præſentibus Epiſcopis Auguſtano, Friſingenſi, Ratisbonenſi, Salisburgenſi celebratum Canone XXV. „ Debet ſacerdos in pœ-
„ nitentia danda ſingulorum cauſas ſingilla-
„ tim conſiderare, originem quoque, modum-
„ que culparum, & affectus, gemitusque de-
„ linquentium diligenter examinare, manife-
„ ſteque cognoſcere, temporum etiam & per-
„ ſonarum, locorum quoque & ætatum qua-
„ litates inſpicere, ut etiam pro conſideratio-
„ ne locorum, ætatum, vel temporum, ſeu
„ pro qualitate delictorum atque gemituum
„ uniuscujusque delinquentis a ſacris regulis
„ oculos non reflectat.

195 *Prob. IV.* Authoritate Catechiſmi Concilii Tridentini, cujus ſententiæ juſſu Bavariæ ducum in ſcholis & Monaſteriis ſequendæ ſunt, ubi parte II. de pœnitentia cap. V. §.41. hæc Reſolutio expreſſe docetur.

196 *Prob. V.* Si circumſtantiæ aggravantes intra eandem ſpeciem non eſſent exponendæ; non poſſent illæ ab Epiſcopis reſervari: atqui reſervantur. Sic E. g. inceſtus in primo

primo gradu eſt peccatum reſervatum pluribus in locis: lege civili etiam morte plectitur, quamvis ſpecie non differat ab inceſtu in reliquis gradibus.

Reſpondent Adverſarii, hoc caſu exponendam eſſe circumſtantiam per accidens propter annexam reſervationem, non autem per ſe.

Contra eſt. Hoc tamen ſequitur, tali circumſtantiæ graviorem ineſſe malitiam, cui major etiam debetur pœnitentia, adeoque per ſe exponi debet.

Prob. VI. Confeſſarius obligatur pœnitentes interrogare de circumſtantiis *tantum* aggravantibus, & pœnitens tenetur reſpondere: ergo pœnitens jam ante interrogationem eaſdem ſponte confiteri tenetur. 197

Antecedens quoad I. partem conſtat ex dictis, & ipſa natura pœnitentiæ; Confeſſarius enim Judicem, Doctorem, & Medicum agere debet: hæc officia ſine notitia circumſtantiarum rite exequi nequit: ut patet examinanti, & colligitur ex capitulo *omnis utriusque ſexus;* ubi Innocentius III. dicit: „ Sacerdos „ autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſæpe infundat vinum & oleum „ vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & „ peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat illi „ præbere conſilium, & cujusmodi remedium „ adhibere, diverſis experimentis utendo ad

„ ſanandum ægrotum. „ Vid. etiam cap. *Deus qui* &c. de pœnit. & remiſſ.

198 *Prob. anteced.* quoad II. partem, ex propoſitione LVIII. ab INNOCENTIO XI. damnata. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem:* atqui conſuetudo eſt circumſtantia intra eandem ſpeciem aggravans, *ergo* &c. Conſequentia prioris antecedentis etiam probatur. Niſi pœnitens teneretur reſpondere, confeſſarius non haberet jus interrogandi: ergo jam ante interrogationem pœnitens tenetur eas circumſtantias exponere; nam interrogatio confeſſarii fit ſolum in ſubſidium pœnitentis, ut confeſſario innoteſcat ejusdem ſtatus, quem ille per ſe tenetur exponere. ex eo enim, quod confeſſarius interroget de circumſtantia ſolum aggravante, non ſequitur, quod jus reſpondendi oriatur ex interrogatione, ſed quod pœnitens jam ante fuerit ad id obligatus: quia autem ſupponitur illius vel oblitus, vel ignarus juris; hinc confeſſarius tantum in ſubſidium interrogat de eo, quod debuerat pœnitens ſponte ſua exponere.

199 *Prob. VII.* Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1700 congregatus, quæ ſpeciem Concilii provincialis præſeferunt, damnavit hanc propoſitionem: qua aſſerebatur, *præcepto confeſſionis eum ſatisfacere, qui enuntiat ſimpliciter ſe furto abſtuliſſe eam pecuniæ quantitatem, quæ ad peccatum mortale ſufficit:* ergo hoc ipſo ex judicio Epiſcoporum Galliæ circum-

circumſtantiæ tantum aggravantes exponendæ ſunt. Ratio ulterior eſt. In materia ſacramentorum ſemper ſequenda eſt ſententia tutior; atqui agitur hic de materia ſacramenti, nempe de integritate formali confeſſionis, quæ eſt pars & materia ſacramenti: & certum eſt, tutiorem eſſe opinionem, quæ circumſtantias iſtas docet exponendas. Ergo &c.

OBJICITUR *contra* II. Reſolutionem. S. THO- 200
MAS in IV. & XVI. q. III. a. 2. qq. 5. & opuſculo XII. expreſſe docet, circumſtantias, quæ ſpeciem non mutant, non eſſe ex præcepto confitendas, ſed illud tantum eſſe perfectionis, ſicut & de venialibus dictum eſt. Ergo &c.

II. Tridentinum Concilium illas tantum circumſtantias eſſe exponendas docet, quæ ſpeciem mutant, & numerum: ergo circumſtantiæ intra eandem ſpeciem tantum aggravantes non ſunt exponendæ.

III. Idem Tridentinum ait: „ Conſtat nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam ut „ poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, „ & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras „ exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus „ ſe Dominum & Deum ſuum offendiſſe meminerit. „ *Ergo* &c.

IV. Si exponendæ forent omnes circumſtantiæ, tunc confeſſio aut impoſſibilis foret, aut carnificina, ut etiam hæretici contendebant: atqui hoc dici nequit. *Ergo* &c.

V. Non debet pœnitens confiteri circumſtantias, quæ multum minuunt peccati gravitatem: ergo nec eas, quæ aggravant.

VI. Non debet quis alterius famam in confeſſione lædere: atqui ſi exponendæ forent circumſtantiæ, deberet quandoque diffamari perſona complex peccati, quæ confeſſario ex circumſtantiis cognita eſſe poteſt. *Ergo* &c.

RESPONDEO ad I. Videtur quidem S. *Th.* ita ſenſiſſe, dum ut junior ſcripſit in ſententias, quo tempore illa opinio erat communis inter Theologos. præſumi autem poteſt, eum, ſi ſummam integre abſolviſſet, mentem ſuam immutaturum fuiſſe. Cum autem Theologi Dominicani, qui catechiſmum Concilii Tridentini Roma probante conſcripſerunt, a S. THOMA hoc in capite diſceſſerint, id ipſum mihi absque piaculo liberum erit; nec enim quispiam me coegerit judaica quadam religione in omnem S. Thomæ apicem jurare.

RESPOND. ad II. Tridentinum Concilium ſolum declaravit ſententias fide credendas; controverſias ſcholaſticorum, qualis eſt iſta, indeciſas reliquit. argumentum vero ſua ratione noſtræ ſententiæ ſubminiſtravit. hinc utor tantum argumento legis.

RESPOND. ad III. Hæc verba trahi debent ad immediate antecedentia, ubi dixerat, confeſſionem non eſſe carnificinam, ſed hoc tantum requiri, ut peccata, quæ memoriæ poſt diligentem diſcuſſionem occurrunt, exponantur,

tur, non autem requiri integritatem materialem. atqui etiam circumſtantiæ aggravantes memoriæ occurrunt. Item: *diſt.* nihil aliud requiri, tanquam de fide definiente, *conced.* tanquam ſententia probabiliore, ac Tridentino magis conformi, *neg.*

Respond. ad IV. nego *ſequelam.* Non requirimus confeſſionem aliarum circumſtantiarum, quam quæ occurrunt memoriæ, quod facile contingit; dum enim quis peccati commiſſi recordatur, facile etiam meminit circumſtantiarum ejusdem.

Respond. ad V. nego *anteced.* ſecus enim falleretur judicium confeſſarii, & proportio ſatisfactionis.

Respond. ad VI. nego, complicem criminis non debere manifeſtari, ſi aliter peccatum integre exponi nequeat. Nam in veteri Eccleſia debebat criminis complex accuſari, qui etiam propterea a Pœnitentiario cogebatur ad pœnitentiam, & a ſacris arcebatur, ut conſtat ex facto Nectarii ſupra relato. Nec obſtat ejus diffamatio; nam in primis ea ultra notitiam ſacerdotis non progreditur: & ſibi imputare debet complex, qui, cum libere peccaverit, jus ad famam in ordine ad ſacramentale ſigillum amiſit; cum aliunde ipſe quoque teneatur ſemet confeſſario prodere. Dein ſunt plures aliæ cauſæ, quæ juſtam faciant criminis alieni detectionem; nam in foro ſæculari delinquentes juſte torquentur, ut manifeſtent criminis ſocios, quia reipublicæ inter-

 eſt.

eſt. Imo fideles Eccleſiæ cenſuris ad id cogi poſſunt. Civis tenetur illum denuntiare, qui in perniciem reipublicæ vel Principis quidpiam machinatur. Tenetur famulus monere herum, ſi quis de ejus familia bona diripiat, aut ſuſpectam foveat converſationem. dum a prudente viro eſt captandum conſilium, licet alterius crimen detegere. atque ita in caſibus aliis innumeris. Itaque diffamatio alterius tantum prohibita eſt, quando fit ſine cauſa, non autem dum fit cum cauſa, ut in noſtro caſu cauſa eſt integritas confeſſionis. Monent tamen auctores, ut illo caſu pœnitens, alium, ſi fieri queat, nec confeſſio neceſſario urgeat, confeſſarium adeat, cui criminis ſocius cognitus haud ſit.

201 Resolutio III. Peccata proprie, ſeu poſitive dubia, quæ quis probabilius judicat eſſe peccata gravia, aut a ſe commiſſa, nec hactenus in confeſſione manifeſtata, exponenda ſunt ut dubia: peccata negative dubia, dum quis absque ſufficienti ratione hæſitat, an peccatum commiſerit, &c. ut ſcrupuli tractanda ſunt, de quibus tract. de conſcientia.

Prob. I. pars argumento generali. In dubio, ubi agitur de periculo ſalutis, eligenda eſt ſententia tutior removens omne periculum, ut ſuppono ex tract. de conſcientia; atqui hic agitur de dubio cum periculo æternæ ſalutis, uti patet: *ergo*. II. In materia ſacramentorum eligenda eſt ſententia tutior relicta tantum probabili; atqui hic agitur de materia ſacramen-

cramenti, nempe de formali & materiali, quantum fieri poteſt, confeſſionis integritate: *ergo*. III. Illa peccata in confeſſione exponenda ſunt, de quibus eſt elicienda contritio; atqui de peccatis dubiis eſt elicienda contritio; cum quisque debeat ſe conſtituere in ſtatum ſecurum ſalutis: qui autem de peccato poſitive dubitat, probabilius judicat ſe eſſe extra ſtatum ſalutis, *ergo. maj.* probatur ex S. Thoma *in* IV. & XVII. q. III. A. I. quæſt. 4. „ Cum „ propoſitum confitendi ſit annexum contri„ tioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſi„ tum, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet quando peccata memoriæ occurrunt &c. „ ergo & ea debet confiteri, de quibus debet conteri. Item: illa pœnitentia ad ſacramentum eſt a Chriſto elevata, quæ jure naturæ requiritur; atqui contritio de peccatis dubiis jure naturæ requiritur, ergo etiam eorum ſacramentalis confeſſio. IV. Ante uſum ſacræ communionis homo ſe ipſum, an ſit in ſtatu gratiæ, probare, &, ſi probabilius judicat, ſe non eſſe in gratia, confiteri debet ex præcepto poſitivo Eccleſiæ: atqui de peccato poſitive dubitans probabilius judicat, ſe non eſſe in gratia, & indignum Evchariſtiæ, *ergo* &c. V. Qui prudenter dubitat, an valide, aut omnino fuerit baptizatus, baptiſmum ſub forma conditionata ſuſcipere debet: ergo etiam qui prudenter dubitat, an peccaverit, aut peccatum, certo commiſſum, fuerit confeſſus, confiteri debet; cum confeſſio, ſi fieri poteſt, ſit neceſſarium ſalutis medium *ordinarium*, a Chriſto

ſto inſtitutum. VI. Qui dubitat, & prudenter judicat, ſe lethaliter ægrotare, jure naturæ tenetur adhibere medicinam de conſilio medici: ergo etiam qui dubitat de gravi morbo & periculo animæ, pharmaco a Chriſto præſcripto uti debet.

202 Objic. contra III. Reſolutionem: Primo omnia fere argumenta, quæ ſtant pro probabiliſmo, maxime illam regulam: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Cum lex eſt dubia, libertas eſt in poſſeſſione, &c. ſed his ſatisfactum fuit tractatu de conſcientia.

Dicunt inſuper I. Ea ſunt tantum peccata exponenda, quorum quis habet conſcientiam; atqui peccatorum dubiorum non eſt conſcientia; cum conſcientia dubia non ſit proprie conſcientia. *Ergo*.

II. Tridentinum tantum præcipit ea confiteri, quorum quis meminit: atqui dubiorum non meminit; dubitare enim, non eſt meminiſſe.

III. In foro externo non judicatur de peccatis dubiis: *ergo* neque in interno.

IV. Qui dubitat an emiſerit votum, non obligatur voto. ergo etiam qui dubitat, an peccaverit, vel confeſſus fuerit, non tenetur confiteri.

V. Qui dubitat, an peccatum ſit reſervatum, non tenetur accedere ſuperiorem pro abſolutione, ergo etiam qui dubitat, an commiſerit peccatum reſervatum cognitioni Eccleſiæ,

clesiæ, non tenetur illud sacerdoti exponere.

RESPOND. ad I. *disting. maj.* quorum quis habet conscientiam, vel certam omnino, vel probabiliorem, *conced.* tantum certam, *neg. disting.* etiam *min.* conscientia dubia negative, ubi suspenditur intellectus judicium, non est conscientia, *conced.* positive dubia, ubi intellectus probabilius judicat, peccatum fuisse commissum, non est conscientia. *neg.* quando non potest haberi certa veritas, debet intellectus judicare & voluntas sequi, quod est verosimilius; quod autem est probabilius, est etiam verosimilius, cum ergo judicet pœnitens, probabilius se peccati reum esse, illud exponere debet propter periculum nullitatis sacramenti, & incertitudinem justificationis.

℞. ad II. *disting.* dubiorum non meminit, tanquam certe commissorum, aut in confessione jam expositorum, *conced.* non meminit tanquam probabilius commissorum, & probabilius nunquam hactenus expositorum in confessione, *neg.*

℞. ad III. nego. *consequent.* Disparitas est; quia forum externum tantum ordinatur ad puniendum crimina certa: internum autem tendit ad absolvendum, & satisfaciendum Deo, & ad securitatem ac tranquillitatem conscientiæ. & *retorq.* in foro externo nemo debet se sponte accusare de crimine etiam certe commisso: ergo neque in interno: quod est falsum. Non potest igitur duci paritas ab externo ad internum forum.

℞. ad

℟. ad IV. nego *anteced.* ſi probabilius judicat ſe voviſſe; aut debebit ſaltem petere diſpenſationem pro ſecuritate; Illo enim caſu dubia eſt poſſeſſio libertatis, & ſubintrat jus Dei, probabilius, ut ſupponitur, obligans, ac ſalus animæ, quæ ſemper debet in tuto poni, & cui magis favendum & ordinata charitate Dei & ſui, quam libertati ſeu concupiſcentiæ.

℟. ad V. nego *anteced.* Cum enim dubia ſit Juriſdictio Confeſſarii, a qua valor abſolutionis & ſacramenti, ac collatio gratiæ dependet, ſententia tutior ſequenda eſt.

§. III.

De variis confeſſionum generibus.

203 Confeſſio quoad modum poteſt eſſe vel ſecreta, vel publica, ore, vel calamo, per internuntium aut interpretem, præſenti vel abſenti confeſſario facta: poteſt eſſe generalis omnium peccatorum poſt baptiſmum, vel particularis ab ultima confeſſione commiſſorum. Hic paucis inquiritur 1. an confeſſio publica a Chriſto fuerit præcepta, aut aliquando uſitata. 2. An confeſſio in ordine ad abſolutionem fieri poſſit abſenti per Epiſtolam, vel per internuntium. 3. An generalis olim fuerit in uſu?

204 Resolutio I. Confeſſio publica criminis occulti non eſt jure divino præcepta. ita expreſſe Concil. Trident. ſeſſ. XIV. cap. 5.

Prob.

Prob. ex Traditione; Nam ex facto Nectarii a SOCRATE & SOZOMENO ſupra n. 183. relato colligitur, mulierem illam ſoli ſacerdoti ab initio peccata ſua fuiſſe confeſſam; ſic enim ait SOZOMENUS lib. VII. 16. „ Cum in „ nullo penitus peccare divinioris cujusdam „ naturæ ſit, & humana præſtantioris, pœnitentibus vero, etiamſi ſæpius deliquerint, „ veniam dare Deus præceperit; cumque in „ petenda venia peccatum neceſſario confiteri oporteat, grave & moleſtum ab initio „ jure & merito viſum eſt, ſacerdotibus tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate & prudentia polleret, huic officio præfecerunt; ad quem accedentes, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. „ Et SOCRATES: „ Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata ſingillatim confeſſa erat &c. „ Idem colligitur ex CHRYSOSTOMO ſupra n. 184. citato, ubi ait, *ſe pœnitentem non in theatrum ducere.* &c. S. LEO Magnus Epiſt. LXXX. ad Epiſcopos Campaniæ cap. 3. „ Illam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi „ a quibusdam illicita uſurpatione committi, „ modis omnibus conſtituo ſubmoveri; ne „ videlicet de ſingulorum peccatorum genere „ libello ſcripta profeſſio publicetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdoti-

„ bus

„ bus indicare confeſſione ſecreta. quamvis
„ enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabi-
„ lis, quæ propter Dei timorem apud homi-
„ nes erubeſcere non veretur ; quia tamen
„ non omnium ejusmodi ſunt peccata, ut ea,
„ qui pœnitentiam poſcunt, publicare non
„ vereantur, removeatur tam improbabilis
„ conſuetudo. „

205 Resolutio II. Olim in Eccleſia viguit voluntarius publicæ confeſſionis uſus.

Prob. I. S. Irenæus Lib. I. cap. 9. refert, mulieres a Marco hæretico corruptas, poſtea ad Eccleſiam converſas crimina ſua palam fuiſſe confeſſas. II. Eusebius Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. cap. 8. de Calumniatore quodam Narciſſi refert, eum duorum ſceleris ſociorum repentina morte perterritum, coram omnibus ſuam in Narciſſum criminationem fuiſſe confeſſum. III. De confeſſionibus, quæ ab uno pluribus ſacerdotibus ſimul fieri ſolebant, plura exempla legere eſt apud Mabillonium Præfat. in III. partem ſæcul. III. Benedictini. Publica confeſſio pariter in uſu erat apud veteres monachos. IV. Probatur etiam ex eo; quia, ut mox apparebit, pœnitentes quandoque de Conſilio confeſſarii ſua peccata, ſecreto prius manifeſtata, publice prodebant.

206 Resolutio III. Publica confeſſio quandoque etiam peccatoribus ab Eccleſia injungebatur.

Prob. I. Apoſtatas, Hæreticos, Schismaticos, non prius ad Eccleſiæ gremium fuiſ-

ſe

ſe admiſſos, quam ſuam perfidiam coram omnibus fuiſſent confeſſi, oſtendit Eusebius Lib. V. cap. 28. Lib. VI. cap. 2. Lib. VII. cap. 6.

Prob. II. Origenes hom. II. in Pſal. 207
XXXVII. ad illud: *Iniquitatem meam agnoſco*, poſt adhortationem ad confeſſionem occulti criminis addit: „ Tantummodo circumſpice „ diligentius, cui debeas peccatum confite- „ ri: Proba prius medicum, cui debeas cau- „ ſam languoris exponere, qui ſciat infirmari „ cum infirmante, flere cum flente, ita, ut „ demum, ſi quid ille dixerit ſi quid „ conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si in- „ tellexerit talem eſſe languorem tuum, qui „ in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, „ & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædifica- „ ri poterint, & tu ipſe facile ſanari; multa „ hoc deliberatione, & ſatis perito medico il- „ lius conſilio procurandum eſt. „

Prob. III. Idem etiam docet S. Augu- 208
stinus Lib. L. Homiliarum, homil. ult. „ Ve- „ niat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia „ claves miniſtrantur . . . & a Præpoſitis „ ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ „ modum . . . ut ſi peccatum ejus non ſo- „ lum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto „ ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire „ Eccleſiæ utilitati videtur antiſtiti, in noti- „ tia multorum vel etiam totius plebis a- „ gere pœnitentiam non recuſet, non reſi- „ ſtat. „

209 *Prob. IV.* Qui de crimine per alios convicti, aut vehementi praesumptione suspecti erant, etiam per excommunicationem adigebantur ad publicam ejus confessionem, uti constat ex Can. II. Concilii Turon. apud BURCARDUM Lib. VI. cap. 24. Pluribus id probat MORINUS de poenitentia lib. II. cap. 6. & 7. ubi etiam docet, Christianos obligatos fuisse, ut reorum crimina Ecclesiae denuntient, secus ipsi poenitentiae publicae subjiciendi fuissent. Vide etiam ibidem cap. 9. 10. 11.

210 RESOLUTIO IV. Peccata mere occulta, & quae lege civili capite plectenda forent, publicae confessioni non erant subjicienda.

Prob. I. Ex S. LEONE Magno n. 204. citato, & ex S. BASILIO Magno Epistola canonica can. XXXIV. „Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt: ne convictis mortis ansam praebeamus. Diu autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus poenitentiae." RATIO est; quia juxta sanctos Patres tunc solum facienda erat confessio publica, quando poterat Ecclesiae esse aedificationi, & non potius scandalo, cujusmodi exortum fuit in publicatione stupri a Diacono commissi sub Nectario, de quo supra, facileque oriretur, si publicae ac civili vindictae ansa praeberetur. Caeterum a multis jam saeculis publicae confessionis, sive voluntariae, sive imperatae inter saeculares

(aliud

(aliud enim de culpis regularium experientia & regula docet) uſus exolevit; ut adeo hodie ad publicam occulti criminis confeſſionem obligari pœnitens a confeſſario nequeat, prout ex Trident. Concil. ſeſſ. XIV. cap. 5. colligitur, & Leone Magno n. 204. citato.

Resolutio V. Confeſſio per litteras aut 211
internuntium abſenti ſacerdoti in ordine ad abſolutionem ſacramentalem facta, a Clemente VIII. illicita declarata fuit. diſputatur, an hodie valeat, aut unquam valuerit, etſi per ſe loquendo valere poſſit.

Prob. I. pars ex Bulla Clementis VIII. tom. III. bullarii & propoſitione ab eodem damnata anno 1602. quæ ita habet. *Licet per litteras ſive per internuntium Confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem petere.* Cum autem Suarez, docuiſſet, decretum Clementis non collective, ſed diviſive eſſe accipiendum; ita, ut ſummus Pontifex non prohibeat præciſe confeſſionem fieri per litteras aut internuntium in ordine ad abſolutionem a ſacerdote, cum ſuo tempore præſens fuerit, accipiendam, ſed prohibuerit utrumque ſimul, quando & confeſſio fit abſenti, & abſolutio conceditur abſenti: hinc Paulus V anno 1605. 14. Junii hanc expoſitionem ex ejus ſcriptis expungi juſſit. Obſervat tamen D. Habert, valere abſolutionem ore Miniſtri præſenti pœnitenti collatam, qui per litteras aut internuntium confeſſus fuit, cum aliter non potuerit, uti

muti, quorum aliquando peccata ſcripto ſe excepiſſe teſtatur: & moribundi, quorum præcedens confeſſio, ſeu confitendi deſiderium, ſacerdoti non innoteſcit, niſi per teſtes, ſive internuntios, atque ita Clementem VIII. declaraſſe, teſtarique Armacanum ait. Ubi tamen ex aliis auctoribus addendum, illicitam & invalidam fore confeſſionem, ſi pœnitens ſua peccata in ſcriptis legenda offerat ſacerdoti præſenti, ſeque in genere horum omnium reum dicat, quando oretenus confiteri poteſt; quia inprimis eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem, in re gravis momenti, & quia Chriſtus determinavit confeſſionem oralem, ut docet S. Thomas in IV. Diſt. XVII. Q. III. A. 4. quæſtiunc. 3. Cæterum iidem authores opinantur, pœnitentem, dum oretenus confiteri nequit, non obligari ad confeſſionem in ſcriptis, vel per interpretem faciendam, etſi contrarium valde probabile eſſe non inficientur, de quo jam litigare nolo, ſed Theologis moralibus relinquo.

212 Quod ejusmodi confeſſio, Sacerdoti abſenti facta, valere poſſit, nec per ſe nulla ſit, ex eo quidam colligunt; Quia ſacramenta ſunt quædam compoſita moralia, quæ phyſicam ſubjecti præſentiam non neceſſario requirunt. Cum igitur Matrimonium, eoquod habeat rationem contractus, inter abſentes & per procuratorem valide ineatur; hinc & Pœnitentiæ Sacramentum, quoniam ad normam judicii a Chriſto inſtitutum fuit, ubi tam accuſatio, quam Judicium ab abſentibus fieri poteſt, abſen-

absenti, per litteras vel internuncium se accusanti, administrari posse videtur. Sed nullius plane momenti istam controversiam judico, & illis relinquendam Theologis, in quorum Provinciis allegatum Clementis decretum forte receptum non fuit. Quisquis enim contra Declarationem R.P. confessionem voluntarie illicitam deponit, graviter peccat, & eo ipso gratiae justificationis consequendae indignum se reddit. Cum & aliunde Sacramentum Poenitentiae validum simul & informe esse nequeat; parum refert, an solum illicita, aut simul invalida sit confessio; cum neutro in casu Sacramentum suum effectum sortiatur. Sub Pontificatu Urbani VIII. a quodam Missionario Sinensi quaestio proposita fuit, an sacramentalis Confessio necessitate urgente per laicum internuncium fieri nequeat; si enim istud permissum foret, tunc facilis pateret via confessiones excipiendi mulierum, quae illo in regno arctissime custodiuntur. Sed negative resoluta fuit, ut testatur Sandini ad vitam cit. Pont. Utique Missionarius ille tam rudis non fuerit, ut ignoraret, Mulieri potestatem clavium nusquam competere posse: qua de re vid. cap. 10. de Poenit. & remiss. Forte autem dubitavit, an confessio illis in circumstantiis fieri nequeat per foeminam internunciam, quae Confessario pro impetranda sacramentali absolutione peccata a Poenitente concredita denuntiaret, & cum nuntio impetratae absolutionis ad eundem rediret? Interea ex objectionibus desumetur, absolutionem sacramen-

talem absenti nunquam fuisse concessam, etsi confessio ab absentibus quandoque facta fuerit.

213 Objic. contra V. Resolutionem. In vita S. Joannis Eleemosynarii legitur, quod mulier quaedam, cum ausa non esset scelus suum coram confiteri, id scriptum sanctò illi tradiderit, qui factum etiam probaverit.

II. In Concilio Cloveshoviensi cap. 27. legitur, quod quidam anglus facinus suum per epistolam fuerit confessus.

III. Idem legitur de Potamio Episcopo Bracarensi in Concil Toletan. XII.

IV. Etiam S. Thomas Cantuariensis confessus est per litteras Alexandro III. ut legere est apud Baronium & Matthaeum Paris ad annum 1164. ut alios taceam.

V. Absolutionem incestuoso Corinthio Paulus concessit per Epistolam II. Corinth. 2.

VI. Presbyter aegrotus serapioni absenti & in extremis constituto per puerum absolutionem misit, ut refert Eusebius Lib. VI. cap. 36.

VII. Patres synodi Duziacensis absolverunt Robertum Cenemonensem in Epistola ad ipsum data.

VIII. Ita etiam Hincmarus Hildeboldum; nam haec est Epistolae ejus inscriptio: „ Exhortatoria Hincmari metropolitani ad Hildebaldum dioecesanum Episcopum corporea infirmitate detentum, in qua juxta petitio-

„ titionem litterarum confeſſionis illius ſua „ auctoritate eum per abſentiam corporalem „ reconciliando abſolvit. „

IX. Alexander III. abſolvit S. Thomam Cantuarienſem abſentem per Epiſtolam. Et ita alii quoque.

Resp. ad I. Mulier illa forte præſenti Joanni peccata ſua ſcripta tradidit, ab eodem deinceps præſente abſoluta. Poteſt quoque dici, mulierem illam ex vehementia contritionis extra ſacramentum fuiſſe juſtificatam.

Respond. ad II. Anglus ille videtur a Concilio abſolutionem canonicam ab onere publicæ pœnitentiæ, reconciliationem cum Eccleſia, & jus participandi ſacramenta petiiſſe. Teſtabatur enim in litteris, ſed idem nefas copioſis Eleemoſynis juxta multorum promiſſa in tantum expiaſſe, ut ſi deinceps vivere poſſet trecentorum annorum &c. perſolutum eſſet.

Respond. ad III. Potamius poſt miſſam Epiſtolam concilio ſe ipſum præſentem ſtitit, confeſſus veritatem Epiſtolæ, a quo tamen nec præſens abſolutus, ſed depoſitus, & perpetuæ pœnitentiæ addictus fuiſſe legitur.

Resp. ad IV. S. Thomas in dubio conſuluit per litteras Pontificem, qui reſpondit præter alia in hæc verba: „ Si aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat „ conſcientia remordere, quidquid ſit, qui dis-

 „ cretus

„ cretus & providus habeatur, tibi consuli-
„ mus, per poenitentiam confiteri, quo facto
„ & misericors Dominus . . . tibi dimittet,
„ & nos te ab eo, quod est commissum absol-
„ vimus . . . ut postea a missarum celebra-
„ tionibus propter hoc non debeatis abstine-
„ re. „ Igitur a censura, quam sibi ipsi indixerat S. Thomas, quia visus sibi fuerat nimium Regi indulsisse, Pontifex eum absolvit, non autem sacramentaliter.

Resp. ad V. Paulus absolvit incestuosum ab ulteriore poenitentia canonica, & a censura excommunicationis, qua ipsum prius satanæ tradiderat, restituendo communioni Ecclesiæ, fuit ergo absolutio indulgentialis, & canonica, non sacramentalis.

Resp. ad VI. Presbyter ille absentem Serapionem non absolvit sacramentaliter, sed sacram Evcharistiam, & jus Communionis Ecclesiasticæ illi concessit.

Resp. ad VII. Robertus Cenemonensis ægrotans rogobat Patres Concilii, ut pro ipso apud Deum intercederent, & indulgentiam impetrarent: quod & promiserunt in suis responsis. Fuit ergo absolutio indulgentialis a reatu poenæ temporalis.

Resp. ad VIII. Hincmarus hortabatur Hildebaldum, ut sacerdoti specialiter sua peccata confiteretur. Ut ex Sirmondo in nat. ad III. Tom. Concil. Galliæ constat. ad IX. jam fuit satisfactum resp. ad IV.

Ut

Ut vero conſtet, traditionem noſtris reſponſionibus eſſe conſentaneam, legatur canon, *quem pœnitet.* de pœnitentia Diſt. I. Concil. Nemauſenſe 1284. „ Non debet confiteri per „ nuncium, nec per ſcripturam, ſed viva vo- „ ce, ore proprio, & præſentialiter, ut qui per „ ſe peccaverit, per ſe ipſum confiteatur, & „ erubeſcat. „ S. Th. in III. & XVII. Q. III. A. 4. quæſt. 3. ⊙ „ Confeſſio ſecundum quod „ eſt pars ſacramenti, habet determinatum „ actum, ſicut & alia ſacramenta habent de- „ terminatam materiam. & ſicut in baptiſmo „ ad ſignificandam interiorem ablutionem aſ- „ ſumitur illud elementum, cujus eſt maxi- „ mus uſus in abluendo, ita in habitu (actu) „ ſacramentali ad manifeſtandum ordinato „ aſſumitur ille actus, quo maxime conſuevi- „ mus manifeſtare ſcilicet per proprium ver- „ bum. „ Item Quodlibeto I. A. 10. „ Ex „ inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo, qui po- „ teſt, ut verbo confiteatur, ut ore confitens „ magis erubeſcat. „ Eſt tamen ſententia communior, jure etiam divino invalidam fore abſolutionem ſacramentalem abſenti datam. Quia ſecus Clemens VIII. alterius ſententiæ praxin non prohibuiſſet in articulo neceſſitatis, quam prohibuit tamen ut minus tanquam falſam, temerariam & ſcandaloſam.

Resolutio VI. Antiquus eſt Confeſſio- 214
num Generalium, de omnibus peccatis, poſt Baptiſmum commiſſis, ſingillatim ſe accuſandi uſus.

Prob. I. Nam ita confeſſa fuit matrona illa nobilis ſæculo IV. in Eccleſia Conſtantinop. de qua n. 204.

II. AUDOENUS author vitæ S. Eligii Episcopi Novarienſis teſtatur, hunc ſanctum in ipſo ſanctioris vitæ exordio omnia ab adoleſcentia ſua coram ſacerdote confeſſum fuiſſe acta.

III. Idem conſtat de S. TILLONE, prioris diſcipulo apud BOLLANDUM die 7. *Januarii*..

IV. De Clotario Rege idem ſcribit GREGORIUS Turon. Lib. IV. Hiſtor. cap. 21.

V. De Pipino HINCMARUS in analectis ad capitularia Caroli Calvi. „ Exhortandus Pipi-„ nus, ut puram Confeſſionem de omnibus „ peccatis ſuis, quæ ab ineunte ætate perpe-„ travit, ſecrete faciat. „

VI. S. ANSELMUS Lib. V. Epiſt. 66. „ Fa-„ cite confeſſionem omnium peccatorum ve-„ ſtrorum ab infantia veſtra, quantum recor-„ dari poteſtis. „

VII. Hunc morem in ordine noſtro jam olim obtinuiſſe, oſtendit MABILLONIUS ſæculo V. Benedictino. Udalricus conſuetud. Cluniac. Lib. III. cap. 23. & ſtatuta ordinis Carthus. parte II. cap. 11.

§. IV.

De Confeſſionis proprietatibus.

Huc pertinet neceſſitas, veritas, integritas. cætera jam præoccupata fuerunt.

RESO-

Resolutio I. Confessio in re vel voto a- 215
dultis necessitate medii necessaria est.

Prob. I. Sine quo peccatorum remissio haberi nequit, illud necessitate medii est necessarium: atqui sine confessione, saltem in voto, adultus lapsus peccatorum remissionem habere nequit, ergo &c. *min.* probatur. Peccatorum remissio sine absolutione sacerdotis haberi nequit; utpote cum iis fuerit concessa a *Deo* potestas solvendi, ita, ut Deus non nisi eorum ministerio peccata remittere velit: atqui absolutio sacramentalis haberi nequit absque confessione saltem in voto: nam ut ait S. Basilius Magnus in regulis brevioribus: „ Necessario iis peccata aperiri debent, quibus „ credita est mysteriorum dispensatio. „

Prob. II. Sacramentum Pœnitentiæ ne- 216
cessitate medii necessarium est adulto; cum sit remedium ordinarium a Christo institutum: atqui pœnitentiæ sacramentum sine confessione saltem in voto haberi nequit, cum sit pars illius, & quasi materia. Nec obest, quod contritio perfecta extra sacramentum, & in defectu sacerdotis justificet; nam Concil. Trident. sess. XIV. cap. 4. expresse docet, illam reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Prob. III. Eodem modo lapsis post Ba- 217
ptismum necessarium est pœnitentiæ Sacramentum, adeoque etiam Confessio, quomodo pœnitentiæ virtus, & Sacramentum Baptismi

ptismi omnibus est necessarium, ex Trident. Sess. XIV. cap. 1. atqui Baptismus saltem in voto, & pœnitentia interna cum voto externæ est necessaria necessitate medii ex dictis Cap. I. §. II. ergo &c.

218 Objic. contra I. Resolutionem. Fuerunt multi doctores Catholici, qui probabile judicarunt, sufficere confessionem soli Deo factam, nec de necessitate confessario faciendam esse; sic enim scribit Magister sententiarum *Lib. IV.* Dist. XVII. „ In his enim etiam docti di-
„ versa sentire inveniuntur, quia super his
„ varia, ac poene adversa tradidisse viden-
„ tur Doctores. „

II. Idem legere est in Gratiano cap. 89. D. I. de pœnitentia, ubi post recitatas auctorum sententias concludit: cui autem horum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros, ergo non est Juris divini necessitas confessionis, secus etiam ab iis auctoribus agnita fuisset.

Respond. Si auctores illi necessitatem confessionis una cum potestate Clavium negassent, utique hæretica fuisset eorum opinio: nunc autem cum potestatem illam agnoverint, & de necessitate tantum Confessionis dubitaverint, dicendi sunt, humani quidpiam passos fuisse in re non adeo clare decisa. Quamvis constans traditio iis fuerit opposita. Ad Gratianum autem jam supra n. 185. responsum fuit.

Reso-

Resolutio II. Praeceptum divinum confessionis Sacramentalis obligat per se in probabili periculo mortis: per accidens autem, cum quis vult suscipere Sacramentum, aut in statum gratiae se debet constituere. 219

Prob. I. pars. Jus naturae & Deus salutis nostrae auctor volunt, ut in probabili periculo quisque saluti suae omni meliori modo prospiciat, & media ordinaria a Christo praescripta adhibeat; cum etiam in periculo vitae, aut aliorum bonorum corporis homo eam praecautionem adhibere debeat, unde infertur, ante praelium, in periculo naufragii, mulierem in primo partu, aut etiam alias, si praeviderit periculum: Item tempore pestis, Sacramentum poenitentiae, atque adeo confessionem jure naturali & divino obligare.

Prob. II. pars. e S. Thoma, qui in IV. 220
Sent. Dist. XVII. Q. III. A. I. quaestiunc. 4. Haec scribit: „ cum propositum confitendi „ sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata „ memoriae occurrunt, cum praecipue in articulo mortis existit, aut in aliquo periculo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere; sicut cum „ tenetur ad celebrandum, si desit copia Sacerdotis, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi. Sed ad Confes„ sionem actualiter faciendam obligatur ali-

„ quis

„ quis dupliciter. Uno modo per accidens,
„ ſcilicet quando ad aliquid tenetur, quod
„ non poteſt ſine peccato facere, niſi con-
„ feſſus: tunc enim confiteri tenetur; ſicut
„ ſi debeat Evchariſtiam percipere, ad quam
„ nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſ-
„ ſus, accedere debet, copia Sacerdotis ob-
„ lata, & neceſſitate non urgente: & inde
„ venit obligatio, qua Eccleſia omnes *obli-*
„ *gat* ad ſemel in anno confitendum: *quia*
„ inſtituit, ut ſemel in anno, ſcilicet in pa-
„ ſchate, omnes ſacram Communionem ac-
„ cipiant: & ideo ante tempus illud confite-
„ ri tenentur.

221 Resolutio III. Probabilius videtur, non exſiſtere præceptum de ſtatim facienda confeſſione, quando poſt commiſſum grave peccatum practica illius recurrit memoria, & adſit copia Confeſſarii.

Prob. I. e S. Thoma, qui hanc aſſertionem expreſſe tradit loco primum citato, & Quodlib. I. Art. XI. hac præcipue ductus ratione; quia præcepta affirmativa, cujusmodi eſt confeſſionis, non obligant ſemper & pro ſemper, & ad ſtatim implendum.

222 *Prob. II.* Si dicto caſu præceptum confeſſionis omnem peccatorem per ſe ſtatim obligaret, tunc ſequeretur, Concilium Tridentinum nihil ſpeciale decreviſſe quando Seſſ. XIII. cap. VII. declaravit, nullum peccati mortalis ſibi conſcium ſine præmiſſa confeſſione Sacramentali, quantumvis ſibi contritus

tus videatur, ad Evchariſtiam accedere debere, item dum Sacerdoti expreſſe præcepit, ut ſi neceſſitate urgente absque prævia confeſſione celebraverit, *quam primum* confiteatur: atqui iſto in loco ſpeciale quidpiam declaravit, propter ſingularem, quæ Evchariſtiæ Sacramento debetur, venerationem. Ergo &c.

Prob. III. Præceptum Baptismi non obligat, ut quam primum ejus ſe offert occaſio, 223
ſtatim ſuſcipiatur; in veteri enim Eccleſia non niſi certi per annum dies, Paſchæ, & Penteceſtes pro illius adminiſtratione determinati erant, & Catechumeni, licet avide petentes ab ejus ſuſceptione non raro diutius fuerant ſuſpenſi: ergo neque confeſſionis præceptum ſtatim urget.

Prob. IV. Si iſtud præceptum exſiſteret, tunc Eccleſia inutiliter declaraſſet, confeſſionem ad minus ſemel in anno eſſe faciendam; cum potius declarare debuiſſet, hanc obligationem, ſi eam agnoviſſet, ſtatim poſt commiſſum peccatum, dum practica ejus occurrit memoria, urgere: atqui. Ergo. 224

Objic. I. Eo tempore peccator ad confeſſionem actu faciendam ſuppoſita copia Confeſſarii, obligatur, quando propoſitum confeſſionis formare debet; atqui ad iſtud propoſitum ſtatim obligatur, quando practica occurrit peccati memoria, ut patet e S. Thoma n. 220. allegato: ergo & ad confeſſionem. *Maj.* prob. Propoſitum ſerium & efficax 225

tunc

tunc executioni mandari debet, quando nullum obſtat impedimentum: ſecus cenſeretur nuda quædam velleitas; atqui propoſitum confeſſionis efficax eſſe debet, & nullum adeſſe impedimentum ſupponitur: *ergo* &c. Maj. iterum probatur a paritate reſtitutionis, ad quam debitor ſtatim obligatur, quando rei alienæ recordatur.

II. Poſt practicam gravis peccati memoriam ſtatim obligat præceptum contritionis; ex dictis Cap. I. §. II. ergo etiam præceptum confeſſionis; cum par videatur ratio.

III. Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptismum eſt remedium ordinarium a Deo præceptum: ergo certis temporibus obligat; atqui excepto periculo mortis, & neceſſitate Juſtificationis tempus magis opportunum aſſignari nequit, quam iſtud, quo peccator obligatur ad virtutem pœnitentiæ, dum practica occurrit peccati memoria. Ergo &c.

IV. Si quis in gravi infirmitate corporali quam primum poteſt, non quærat remedium medicinæ, ex negligentia peccaret: ergo multo magis ille peccat, qui in gravi infirmitate & morte ſpirituali animæ differt adhibere remedium ordinarium confeſſionis.

Resp. ad I. n. *Maj. min. diſt.* tenetur ad propoſitum confeſſionis ſuo tempore faciendæ *conc.* ſtatim faciendæ n. *min.* quod enim iſtud præceptum, utpote affirmativum non ſtatim & omni momento obliget, expreſſe aſſerit

ſerit S. THOMAS ibidem legendus. Inter reſtitutionem autem & confeſſionem hæc eſt differentia; quod præceptum reſtitutionis ſit *negativum*, quod obligat ſemper & pro ſemper; eodem enim præcepto, quo prohibetur rei alienæ ablatio, etiam interdicitur ejusdem retentio, Domino rationabiliter invito: præceptum autem Confeſſionis eſt pure *affirmativum*, quod non ſemper & ſtatim obligat.

RESP. ad II. Nego *conſeq.* diſparitas eſt; quia Pœnitentia, ut virtus, eſt præceptum naturale, implicite negativum, & in omni ſtatu æqualiter erat neceſſarium: præceptum autem Confeſſionis & Pœnitentiæ, ut eſt Sacramentum, poſitivum eſt & mere affirmativum, & ſine illa vera pœnitentia, imo & aliquando Juſtificatio haberi poteſt: quæ tamen ſine contritione obtineri nequit.

RESP. ad III. Nego *min.* ſubſumtam; Jam enim Eccleſia determinavit tempus hujus præcepti, videlicet Paſchale, & illud omne, quo peccator Evchariſtiam, aut aliud Sacramentum vivorum, quæ ſtatum gratiæ, cuilibet contritioni infallibiliter haud annexæ requirunt, recipere cogitat.

RESP. ad IV. cum S. THOMA quodlibeto citato. „ Morbus corporalis niſi per medicinæ remedium extinguatur, ſemper invaleſcit in pejus, niſi forte etiam virtute naturæ fuerit extinctus; morbus autem peccati extinguitur per contritionem: unde non eſt ſimile. „ Quemadmodum ergo

 tunc,

tunc, quando etiam ſine medicina per virtutem naturæ ſe ipſam juvantis recuperatio ſanitatis ſperari poteſt, medicinam prætermittens non peccat; ita per ſe non peccat, qui ex prudenti ratione differt confeſſionem, quando judicat ſe vera contritione juſtificari poſſe: niſi forte ex alia ratione per accidens tunc obligaret confeſſionis præceptum. Ex iſto autem S. Thomæ reſponſo firmatur prior opinio de neceſſitate contritionis ſtatim *eliciendæ*.

226 Resolutio IV. Confeſſio ſaltem ſemel in anno neceſſaria eſt præcepto Eccleſiaſtico.

Conſtat apud omnes ex Can. XXI. *omnis utriusque* ſexus Concilii Lateran. ubi etiam in violatores decernitur pœna excommunicationis, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ privatio, non quidem ipſo facto, ſed poſt ſententiam judicis incurrenda. Obligare autem hoc præceptum fideles omnes etiam venialis peccati tantum conſcios, patet ex n. 191. Item obligare tempore paſchali propter præceptum Evchariſtiæ, praxis docet. Satisfieri etiam huic præcepto per Confeſſionem factam apud Confeſſarios regulares privilegiatos, conſtat ex conſtitutione Clementis X. anno 1670. ubi dicit, eos, qui dictis religioſis ſimpliciter approbatis paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni, quæ incipit, *omnis utriusque* ſexus &c. quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe, cenſendos eſſe. Econtra non ſatisfit huic præcepto per Confeſſionem voluntarie

ſacrilegam, ob propoſitionem ab Alexandro VII. anno 1665. damnatam ordine XIII.

Resolutio V. Confeſſio debet eſſe vera, ita, ut qui circa materiam gravem mentitur, mortaliter, circa levem, venialiter peccet. Communis. 227

Prob. I. pars. Qui negat mortale peccatum, cujus eſt conſcius, Confeſſionem non facit integram, ergo peccat graviter: qui autem ſe accuſat de mortali, cujus non eſt conſcius, judicem decipit in materia gravi, fallitque, ac immutat ejus judicium, proportionem pœnitentiæ &c.

Prob. II. pars. In omni fere alio peccato virtutibus oppoſito datur levitas materiæ: ergo etiam in Religione; maxime quia leve mendacium Sacramentum non reddit nullum.

Resolutio VI. Confeſſio non ſemper *materialiter*, ſed *formaliter* integra eſſe debet. 228

Prob. I. pars. *Materialiter* integra eſt, quando exponuntur omnia peccata, quæ homo commiſit: atqui hæc non ſemper poſſunt exponi propter oblivionem naturalem, aut defectum loquelæ, in muto, ſenſibus deſtituto, aut linguæ Confeſſarii ignaro &c.

Prob. II. pars. *Formaliter* integra eſt, quando exponuntur omnia peccata quoad ſpeciem & numerum, circumſtantias, quorum homo poſt diligens examen habet conſcientiam: atqui ad hanc tenetur ex Trident.

Concil. ex dictis n. 188. seq. &c. & ex propositione ab Innocent. XI. 1679. damnata ordine II. *licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum Confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ festivitatis, aut indulgentiæ.* Patet etiam ex traditione, de qua egimus per decursum, legique potest apud dogmaticos,

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE ET INDULGENTIIS.

229 Non tantum cum Protestantibus, sed cum laxioribus quoque Casuistis hic certandum erit, ut enim illi omnem satisfactionis necessitatem inficiantur, eoquod Christus abundanter pro nobis satisfecerit: ita isti omnem propemodum cum delictis proportionem tollunt, & jure tantum Ecclesiæ, cui consuetudo contraria opponi potest, necessariam satisfactionem propugnant, non in vindictam peccati præteriti, sed in medicinam relapsus. Utrumque disciplinæ morum periculosissimum. Itaque hic primo tuebor dogma contra hæreticos. 2. Necessitatem proportionatæ satisfactionis jure divino requisitæ contra laxiores probabilistas. 3. Afferam nonnulla de ritu pœnitentiæ veteris tam publicæ quam privatæ, pro delictis publicis, vel occultis, a clericis, vel laicis peragi solitæ. 4. Demum de Indulgentiis.

§. I.

§. I.

De Satisfactionis necessitate.

Quoniam hic cum Proteftantibus dimicandum eft, hinc & dogma Catholicum dilucidare, & illorum, ut mitiffime loquar, hallucinationes exponere oportet. Conveniunt in eo Catholici, varios e peccato, praecipue gravi (nam leve feu *veniale*, fpecifice tale, Proteftantes inficiantur) confequi effectus. 1. *Reatum culpœ*, quae confiftit in offenfa & injuria in fummum Deum commiffa, quae & animam fuo nitore privat, & hominem conftituit objectum indignationis divinae. 2. *Reatum pœnœ* cum *œternœ*, tum *temporalis*, ut ex Tract. de peccatis fupponitur. Docent praeterea, in Juftificatione peccatoris vere poenitentis ex meritis Chrifti eidem gratuito remitti omnem reatum culpae & poenae *œternœ* tam damni, quam fenfus, non autem femper reatum poenae *temporalis*: quod quidem dogma fatis clare expofitum legitur in Concilio Tridentino Seff. XIV. cap. 8. can. 12. 13. 14. Quapropter finiftram plane nobis hypothefin affingit D. Jo. Erneft SCHUBERTUS, Theologus Helmftadienfis, dum in Inftitutionibus Theologiae Polemicae P. II. §. 76. 78. 79, fcribit, „ nos tria in poenis infer- 230
„ nalibus, peccato debitis, diftinguere: poe-
„ nam fenfus, poenam damni, & utriusque
„ aeternitatem, fecundam atque tertiam fub-
„ latam effe fatisfactione Chrifti, primam

„ autem in futuro sæculo subeundam, acce-
„ pta licet peccatorum remissione, remane-
„ re: Christum pro pœna damni & pro pœ-
„ narum infernalium æternitate satisfecisse,
„ sed non pro pœna sensus. „ Fallitur, & fallit hic auctor. Non hæc est Catholicorum doctrina. Profitemur, Christum Mediatorem nostrum pro omni pœna tam *damni*, quam *sensus* seu æterna, seu temporali quoad *sufficientiam* abundanter satisfecisse, utramque nobis cum culpa gratuito ex ejus meritis condonari; simul autem tenemus, remisso reatu culpæ & pœnæ æternæ non *semper* & infallibiliter omnem reatum pœnæ *temporalis* remitti; cujus asserti rationem multiplicem profert Concilium Tridentinum Sess. XIV. cap. 8. jam allegato. Quando igitur Catholici docent, dimissa culpa aliquando remanere pœnam, *in futuro sæculo subeundam*, id intelligunt de pœna *temporali*, quam peccator in hoc sæculo operibus satisfactoriis nondum expunxit, pro quibus in purgatorio satis pati debet. Quodsi autem sua cooperatione cum gratia Christi id effecisset; ut ejus infinitum meritum ei actu & plene fuisset applicatum, tunc ei in altera vita nihil amplius eluendum remansisset, sed ipse jam plene purgatus & ab omni reatu pœnæ liber ad illam civitatem fuisset admissus, quo nihil coinquinatum intrabit.

231 Itaque *Satisfactionis* nomine hoc loco intelligimus *pœnæ temporalis acceptationem & volun-*

voluntariam perpeſſionem vel ſponte ſuſceptam, vel a confeſſario injunctam, tum ad redintegrandam amicitiam cum Deo, peccato violatam, tum ad compenſandam injuriam ipſi illatam. Dicitur 1. *acceptatio* & perpeſſio *voluntaria;* virtutis enim opus eſſe debet & liberum, & ſuo modo meritorium: ſecus Deo non foret gratum. Dicitur *pœnæ:* quo nomine intelligitur opus quodcunque homini moleſtum, & carnis ſeu libertatis afflictivum, cujusmodi, reſpectu naturæ corruptæ, ſunt omnes virtutum actus, & opera bona, quæ omnia ad 3. referuntur: *orationem, jejunium,* & *Eleemoſinam.* Deo enim ſatisfacimus, quando in ejus honorem de iis bonis, in quibus nobis nimium indulſimus, quidpiam cum dolore ſubtrahimus. Sunt autem bona vel animæ vel corporis, vel fortunæ, quorum abuſu in Deum peccatur juxta illud I. Joan. 2. *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt,* nimirum quoad bona corporis: *concupiſcentia oculorum,* ſeu avaritia, quoad bona fortunæ: *& ſuperbia vitæ,* quoad bona animæ. *Oratio* itaque, ſub qua intelligitur omne opus ad cultum Dei pertinens, deprimit ſuperbiam, mentem Deo ſubjicit; cum fateamur per actus Religionis Deum rerum omnium Dominum, omnis boni auctorem, nihil nos ſine eo poſſe. *Jejunium* & quævis corporis afflictio carnis concupiſcentiam coercet, nec ſine dolore corporis commoditates ſubtrahit. *Eleemoſina* avaritiam removet, & dum ſibi quædam cum dolore ſubtrahit, pauperum, in quibus Deum re-

respicit, miseriam sublevat. Dicitur *vel sponte suscepta*, quæ nimirum Sacramentum antecedit, & ad abolendum tam reatum pœnæ quam culpæ tendit: aut etiam post absolutionem acceptam ad compensandam Deo injuriam assumitur. Item intelligitur voluntaria perpessio ærumnarum, quas Deus in vindictam peccatorum immittit, „ tantus enim „ est, ut ait Concil. Trident. Dei amor; ut „ etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, „ & a nobis patienter toleratis apud Deum „ Patrem per Christum Jesum satisfacere va„ leamus. „

232 Dicitur: vel *a Confessario injuncta*, ut enim satisfactio sit pars Sacramenti, & ex opere operato producat effectum, a Sacramenti ministro authoritate clavium imponatur necesse est, & est ipsa condignæ satisfactionis, quam homo ex suis viribus Deo præstare non potest, in aliam temporalem, & proportionatam commutatio. Dicitur: *ad redintegrandam cum Deo amicitiam.* Cum enim ex dictis Cap. I. peccator læserit non tantum justitiam vindicativam, sed etiam commutativam; hinc pro ipsa remissione culpæ, & integranda amicitia requiritur satisfactio *compensatoria*, ultra vindicativam. Dicitur denique: *ad compensandam injuriam;* ut nimirum Justitiæ Dei publicæ & vindicativæ satisfiat, quæ peccatis singulis suas determinavit pœnas, quas quidem, ut dictum est, confessarius Dei nomine in alia opera, suo tamen modo

do proportionata, commutat: aut quæ in purgatorio luendæ erunt, si homo in hac vita eas non exsolverit, vel ipso opere, vel indulgentiis redemerit. Tribus itaque modis satisfit Deo. 1. Per opera laboriosa, a Confessario injuncta. 2. Per opera pia sponte suscepta. 3. Per voluntariam acceptationem & perpessionem ærumnarum hujus vitæ, quas Deus in pœnam peccati immittit.

Aliter sentiunt hæretici: Et olim quidem 233
AUDIANI, ut scribit THEODORETUS hæret. fabul. lib. IV. cap. 10. *Confessis dabant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.* Protestantes moderni sequentia docent. 1. remissa culpa nullam superesse culpam temporalem in ejus ultionem luendam. 2. Eandem esse peccati ante & post Baptismum commissi rationem. 3. Satisfactionem a Catholicis requisitam præjudicare satisfactioni Christi. 4. Pœnas ab Ecclesiæ ministris non debere infligi in vindictam peccati, sed ad cautelam, morum emendationem, probationem veræ pœnitentiæ, & aliorum Exemplum, seu purgandum scandalum. Hoc redarguit Concil. Trident. Sess. XIV. cap. 8. & 9. item Canone XII. contra quos statuitur

RESOLUTIO I. Dimisso reatu culpæ & 234
pœnæ æternæ non semper remittitur omnis reatus pœnæ temporalis, cui per opera laboriosa a pœnitente satisfieri debet.

Prob. I. Ex S. Scriptura. 1. mors corporalis, aliæque hujus vitæ miseriæ Adamo & posteris a Deo inflictæ fuerunt, & subeundæ etiam sunt post dimissum reatum culpæ & pœnæ æternæ. Pœna hæc inflicta legitur Genes. III. 19.

Nec dicat CALVINUS, mortem esse ad exercitationem virtutis.

Nam CONTRA est. Etiam parvulis *jam* regeneratis infligitur; qui tamen exercitationis virtutum non sunt capaces: ergo falsum est, mortem in *solam* exercitationem virtutis, & non etiam in pœnam peccati fuisse inflictam.

2. Probabile est, non nullos Diluvii tempore egisse pœnitentiam, & fuisse justificatos extra arcam, ex illo I. Petri III. v. 19. ubi dicitur, Christum post mortem *His, qui in carcere erant, spiritibus prædicasse, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Atqui illi tamen debebant luere pœnam temporalem diluvii, in vindictam peccatorum inflictam.

3. Moyses & Aaron propter peccatum ad aquas contradictionis, a Deo quidem post pœnitentiam dimissum, puniebantur tamen pœna temporali exclusionis a terra promissa Num. XX. 21. 24. Deuteron. XXXII. 49.

4. Israelitæ, postquam vitulum aureum adorassent Exod. XXXII. interventu autem Moysis veniam a Deo fuissent consecuti versu 14. temporalem tamen debebant pœnam susti-

ſuſtinere; nam Moyſes XXIII. millia occidit: de reliquis autem dixit Deus: *ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.*

5. Iidem Iſraelitæ cum adverſus Moyſen murmuraſſent Num. XIV. ac propterea iram Dei concitaſſent, reconciliati quidem fuere cum Deo per Moyſen: in pœnam tamen nemo eorum in terram promiſſionis intravit.

6. David accepta per Nathan a Deo remiſſione peccati homicidii & adulterii, pœnam tamen temporalem ſuſtinere debuit, ut legere eſt II. Reg. XII. 13. ſeq. ubi dixit ad eum Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum: non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare feciſti inimicos Dei, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morietur.*

7. Idem David propter numerationem populi II. Reg. XXIV. poſt remiſſam intuitu pœnitentiæ culpam, pro reatu tamen pœnæ, optioni ejus a Deo relictæ, famem, bellum, aut peſtilentiam ſuſtinere debuit.

Prob. II. Ex traditione Patrum conti- 235
nua. Teſtantur enim, dimiſſo culpæ reatu & pœnæ æternæ, ſupereſſe reatum pœnæ temporalis exſolvendum. Sic Augustinus in Pſalm. L. *veritatem dilexiſti.* „ Hoc „ eſt, impunita peccata eorum, etiam qui„ bus ignoſcis, non dimiſiſti: ſic prærogaſti „ miſericordiam, ut ſervares & veritatem. „ Chrysostomus Homilia de pœnitentia & confeſſione. „ Ne peccantes & inulti ma„ nentes nos efficeremur deteriores, non re-

miſit

„ misit nobis supplicium, sed vidit hoc manife-„ ste, quod peccatis ipsis non minus damnosum „ sit non puniri. Propter hoc imponit poe-„ nam. „ leg. etiam Gregorius M. lib. IX. Moral. cap. 27. Iidem Patres illa Pauli I. Cor. XI. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, quodsi nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: cum judicamur autem, a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur:* De reatu pœnæ temporalis exponunt: uti & illa Hebr. X. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii:* in hunc sensum explicant, non eo modo post baptismum remitti peccata quoad omnem reatum pœnæ, sed hunc potius per satisfactionem expiandum esse.

236 Objic. contra I. Resolutionem. S. Scriptura sæpe testatur, dimisso peccato nihil remanere pœnæ: sic Ezechiel XXXIII. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Item Rom. VIII. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu:* atqui si superesset pœna temporalis, impietas præterita noceret pœnitenti justificato: & esset adhuc damnatus ad pœnas temporales gravissimas. Ergo.

II. Sublata causa tollitur effectus: atqui peccatum est causa omnis pœnæ: ergo peccato per pœnitentiam sublato tollitur omnis pœna.

III. Chri-

III. Chriſtus dum in terris converſatus peccatores juſtificavit, nullas ab eis expetiit pœnas ſatisfactorias. Ergo nec voluit id fieri a ſuis miniſtris.

Respond. ad I. *Diſt.* nihil remanere pœnæ æternæ, *conced.* temporalis, *neg.* hæc non tantum non nocet, ſed maxime prodeſt ex n. 243. divinamque juſtitiam decet.

Respond. ad II. Nego *maj.* univerſaliter ſumptam; dantur enim quidam effectus ſtabiles, qui perdurant cauſa ſublata. Itaque *diſting.* cauſa ſublata, id eſt, ubi nulla eſt cauſa, tollitur effectus, *concedo.* ceſſante cauſa tollitur effectus; *ſubdiſt.* neceſſario cum cauſa connexus, *conced.* non neceſſario connexus, *neg.* Pœna temporalis non eſt per ſe cum peccato connexa, ſed ex arbitrio divinæ juſtitiæ, quod nobis ex revelatione conſtat; in baptiſmo enim ordinarie omnis etiam temporalis pœna dimittitur cum peccato: non item in ſacramento pœnitentiæ, cujus rationem dat Concil. Tridentinum. quia major eſt ingratitudo & malitia hominis poſt adeptam gratiam juſtificationis voluntarie peccantis, & templum Dei, ac pretium redemptionis conculcantis.

Respond. ad III. Nego *conſeq.* Chriſtus enim uſus fuit poteſtate excellentiæ, nec ullis erat adſtrictus legibus. Imo dici poteſt, eorum, quorum Chriſtus peccata dimiſit, adeo vehementem ac incenſum fuiſſe dolorem, & charitatem Chriſto cognitam; ut pœnam omnem

omnem alias ſubeundam compenſaverit. hæc cum raro tanta ſit, aut ſaltem ſacerdotibus incognita; hinc in præſtanda juſtitiæ divinæ ſatisfactione compenſatoria & vindicativa diſpenſare nequeunt.

237 Resolutio II. Per opera laborioſa aut ſponte ſuſcepta, vel a confeſſario impoſita, Deo ſatisfieri poteſt.

Prob. I. Ex Scriptura. Prov. XV. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.* XVI. *miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Daniel. IV. *Peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Luc. III. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Ex quibus arguimus: opera, quibus peccatum redimitur, Deo ſatisfaciunt; nam ideo Chriſtus ſatisfeciſſe dicendus eſt, quia fuit redemptor: atqui operibus bonis peccata redimuntur; vel ergo redimuntur quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ: vel temporalis? quidquid horum largiti fuerint adverſarii, contenti ſumus.

238 *Prob. II.* ex Patribus. Tertullianus lib. de Pœnitentia, quam ſumit hic pro ſatisfactione, ſeu operibus laborioſis, ita ſcribit cap. 8. „ Confeſſio ſatisfactionis conſilium eſt . . . „ ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſio„ ne pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus „ mitigatur. „ Legatur totus ille liber. Origenes Homil. VI. in Exod. „ Feciſti homici„ dium; diaboli pecuniam ſuſcepiſti, adulte„ rium diaboli pecunia eſt . . . ſi quis forte „ hujus-

„ hujusmodi pecuniam a diabolo deceptus „ accepit, non usque quaque deſperet . . . „ pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo, deleat, „ quod admiſſum eſt. „ * Item Homilia XV. in Levit. S. Cyprianus de lapſis: „ Dominus orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfa- „ ctione placandus . . . orare oportet im- „ penſius . . . diem luctu tranſigere „ ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſor- „ dibus volutari . . . qui ſic Deo ſatisfecerit, „ non ſolum Dei veniam merebitur, ſed coro- „ nam. „ S. Augustinus ſerm. CCCLI. n. 12. „ Non ſufficit mores in melius commu- „ tare, & a factis malis recedere, niſi etiam „ de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœ- „ nitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, „ per contriti cordis ſacrificium, cooperanti- „ bus Eleemoſinis. „ Et ita Patres alii, quod non negant proteſtantes; contendunt autem, Patres hoc in capite erraſſe, aut requiſiiſſe pœnitentiæ opera in teſtimonium ſinceræ converſionis, & purgationem ſcandali.

Contra 1. *Qui enim fieri potuit, ut tot ac tantæ Eccleſiæ* per XV. ſæcula *in unam fidem erraverint:* ut Tertullianus ait, *nam quod apud omnes unum eſt, non eſt erratum, ſed traditum.* 239

Contra alterum. Patres citati clare ajunt, Deo ſatisfieri, Deum placandum eſſe noſtris operibus, quia ratio divinæ juſtitiæ id exigit: in uſu erant ſatisfactiones privatæ, quæ non tendunt ad purgandum ſcandalum: impone-

neban-

nebantur pœnæ pro peccatis occultis, quæ non erant occasio scandali: ergo &c.

240 Objic. contra II. Resolutionem. Christus pro nobis quoad omnem rigorem & abunde satisfecit; ergo nulla superest nobis præstanda satisfactio: aut hæc cederet in injuriam Mediatoris.

II. Satisfactio est justa compensatio injuriæ Deo illatæ, & pœnæ debitæ, atque, ut vel ipsi Thomistæ docent in Tract. de Incarnat. fieri debet ex *propriis*, & alias *indebitis*; atqui nihil tale potest homo exhibere Deo, qui omnia a Deo habet, & aliunde ei debet. Ergo.

Respond. ad I. *disting. anteced.* Christus pro nobis satisfecit quoad omnem rigorem & abunde, nimirum in quantum necesse fuit quoad pretii dignitatem & *sufficientiam, conced.* quoad pretii ipsius *applicationem*, ita ut post Christi satisfactionem nihil homini supersit agendum, *nego.* itaque Christus sua passione ac meritis rigorose & abundanter Deo satisfecit pro peccatis nostris, cujus nos ex puris naturalibus fuissemus incapaces: ut vero pretium satisfactionis nobis in particulari applicetur, hoc fieri potest, vel per plenariam criminum omnisque pœnæ indulgentiam, vel per pœnæ æternæ condonationem, & in mitiorem commutationem. Plenaria condonatio applicatur nobis in Baptismo, altera in sacramento pœnitentiæ, quo tamen satisfactioni Christi nihil decedit: nam etiam Protestantes fatentur, u-

su

ſu ſacramentorum nobis merita ac ſatisfactionem Chriſti applicari. Imo cum conſtanter doceamus, opera noſtra non aliunde quam ex meritis Chriſti ſuum obtinere valorem, ac propter Chriſtum a Deo acceptari; ideo inepte nobis exprobatur, quaſi ſatisfactioni Chriſti noſtris operibus præjudicemus. Notent illi, quod Paulus dixit Coloſſ. I. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* An Chriſtus non fuit paſſus pro Paulo, aut non ſufficienter, ut ille quidpiam addere debuerit? abſit. Adimplevit Paulus conditionem, nempe *compatiendo*, ut ita merita Chriſti ipſi in particulari applicarentur. Hoc omnibus incumbit. *Diſt.* etiam *conſeq.* nulla a nobis eſt præſtanda ſatisfactio, niſi ille, qui liber eſt in acceptando id a nobis exigat: *conced.* ſecus, *nego.* potuiſſet Deus ab homine exigere condignam & rigoroſam ſatisfactionem, quamvis eidem fuiſſet impoſſibilis: at noluit, ſed filium miſit, qui pro nobis ſatisfaceret. Ne autem nihil præſtaret homo, voluit; ut faceret ſaltem, quantum poteſt, nec ſub alia conditione Chriſti ſatisfactionem acceptare voluit.

Respond. ad II. *Diſting. maj.* ſatisfactio *rigoroſa* & perfecta ad regulas juſtitiæ commutativæ eſt &c. *conced.* ſatisfactio *quælibet*, *nego.* Non poteſt quidem homo de condigno Deo ſatisfacere pro injuria; non tamen propterea eximitur, quin ad arbitrium offenſi faciat quantum poteſt: prout in humanis quoque non raro contingit, ut debitor nequeat totum ex æquo perſolvere, quin propterea ex-

cusetur a præstatione possibili. Hinc etiam divini amoris erga nos singulare argumentum est, quod Deus actiones nostras, tot illi titulis aliunde debitas, ad satisfactionem & meritum quoque acceptet.

241 RESOLUTIO III. Sacerdos ejusmodi pœnas merito imponit, imo ad hoc obligatur, ut dicetur §. sequenti.

Prob. I. Paulus incestuosum Corinthium publicæ subjecit pœnitentiæ. Sic enim scribit I. Corinth. V. „ Ego quidem absens cor-„ pore, præsens autem spiritu jam judicavi „ ut præsens eum, qui sic operatus est, in No-„ mine Domini nostri JEsu Christi congrega-„ tis vobis & meo spiritu, cum virtute Domi-„ ni nostri JEsu Christi tradere hujusmodi „ satanæ in interitum carnis, ut spiritus sal-„ vus sit in die Domini. „ Ubi elucet & potestas a Deo concessa, & pœnitentia laboriosa; nam hæc verba: *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis*, pro castigatione temporali interpretati sunt Patres Sæculo III. ut patet ex TERTULLIANO Montanista, qui de Zephirino R. P. aut alio saltem Catholico Episcopo, lapsis pœnitentiam concedente scribit Lib. de Pudicitia cap. 13. „ Hic jam car-„ nis interitum, in officium pœnitentiæ inter-„ pretantur, quod videatur jejuniis & sordi-„ bus, & incuria omni & dedita opera malæ „ tractationis carnem exterminando satis Deo „ facere, ut ex hoc argumententur, fornica-„ torem, imo incestuosum illum non in per-„ ditio-

„ ditionem ſatanæ ab Apoſtolo traditum, ſed „ in emendationem, quaſi poſtea veniam ob „ interitum, id eſt, conflictationem carnis „ conſecuturum. „ Eodem ſenſu citatum Pauli locum exponunt ORIGENES homil. XXIV. in Levit. PACIANUS Epiſcopus Barcinonenſis paræneſi ad pœnit. AUGUSTIN. Lib. de fide & operibus cap. XXVI.

Prob. II. Ex praxi Eccleſiæ veteris, quæ 242
peccatoribus vel ante impenſam abſolutionem, vel poſt eam, præciſe ſacramentaliter conceſſam, graviſſimos injunxit pœnitentiæ labores, atque per quatuor pœnitentium gradus ad plenam reconciliationem eos præparavit: ut in ſubſequentibus apparebit. Hoc pœnitentiæ ſtadium decurrerunt impigre non plebei tantum, ſed illuſtres quoque, & ipſi adeo Reges: quod in Eccleſiæ hiſtoria eſt notiſſimum. Hic ſolum legere non pigebit S. LEONIS M. ex Epiſtola IXCI. ad Theodorum verba: „ Mediator Dei & hominum hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, „ ut & confitentibus actionem pœnitentiæ „ darent, & eosdem ſalubri ſatisfactione pur„ gatos ad communionem ſacramentorum per „ januam reconciliationis admitterent. „ Ut alios jam taceam, ubique obvios.

Prob. III. Enarrando utilitates ſatisfa- 243
ctionis, unde colligitur, Chriſtum, dum hoc ſacramentum inſtituit, ſacerdotesque Judices ſimul & medicos conſtituit, eis quoque poteſtatem tradidiſſe, convenientia peccatoribus

media præscribendi. Itaque 1. per opera satisfactoria peccatorum reliquiæ purgantur. 2. Pœnæ hæ satisfactoriæ a peccato avocant, atque libertatem quasi fræno coercent, hominemque cautum efficiunt. 3. Signa sunt, contritionis veræ, ac pœnitentiæ alioquin admodum incertæ, nec ipsis pœnitentibus, minus confessariis, cognitæ. 4. Graviores alias pœnas, a divina vindicta alioqui infligendas, avertunt; ut enim Paulus ait I. Cor. XI. 31. *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 5. Ejusmodi pœnarum perpessione voluntaria Christo capiti nostro conformamur; hoc enim pacto cohæredes Christi erimus, *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* 6. Satisfactione etiam Ecclesiæ satisfit; maxime, si excessibus publicis ei scandalo fuerit peccator. 7. Denique reatus culpæ temporalis expungitur, ut dictum est n. 237. quæ omnia fusius persequitur D. HABERT omnino legendus.

§. II.

De Necessitate proportionatæ satisfactionis.

244 Huc iterum revocanda sunt, quæ n. 18. de satisfactione compensatoria, & vindicativa, ejusque necessitate dicta sunt. Ulterius autem observandum, satisfactionem, seu pœnitentiam a confessario injunctam, geminam esse posse, unam *medicinalem*, alteram *vindicativam.*

vam. prior imponitur ad extirpandos pravos habitus ex prava consuetudine contractos, aut ex conditione naturae corruptae insitos: & haec potest esse vel *praeservativa*, vel *reparativa.* Illa a peccando ulterius praeservat per gratias divinas, quas poenitens per orationes, eleemosynas, aliave opera etiam non multum afflictiva impetrare studet. Haec est, quae vires peccando amissas restaurat, vulnera, id est peccatorum reliquias sanat &c. *vindicativa,* quae praecise in peccati castigationem imponitur, ab utraque distincta est *compensatoria* pro injuria, ad leges justitiae commutativae requisita, & jure naturae ad poenitentiam necessaria, ut ex dictis supponitur. Sunt itaque laxiores quidam Theologi, qui docent, satisfactionem non requiri pro injuria ex natura poenitentiae, sed esse partem integralem sacramenti, & magis Ecclesiae praecepto necessariam: eam a Confessariis non necessario imponi saltem tempore indulgentiarum: a poenitente recusari, atque in purgatorium differri posse: imponi posse levissimas, aut denique medicinales tantum praeservativas, non autem vindicativas & compensatorias. Itaque inquiritur 1. an sacerdotes jure divino obligentur in sacramento imponere satisfactionem. 2. An poenitens eam debeat acceptare. 3. An satisfactio debeat esse proportionata gravitati delicti, & viribus poenitentis. 4. An etiam tempore Jubilaei, vel indulgentiae plenariae eadem sit necessitas. 5. Quaenam ordinarie imponi possint proportionatae satisfactiones.

6. Denique an pœnitens poſt ſuſceptionem ſacramenti relapſus in ſtatu peccati mortalis poſſit ſatisfacere.

245 RESOLUTIO I. Sacerdos jure divino tenetur pœnitenti imponere ſatisfactionem, gravitati criminum, & facultatibus pœnitentis proportionatam, & pœnitens obligatus eſt eam acceptare.

Prob. I. pars ex Trident. Concil. ſeſſ. XIV. cap. 8. „ Sancta Synodus declarat, *falſum eſſe* „ culpam a Domino nunquam remitti, quin „ univerſa pœna condonetur. ſane & divinæ „ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab „ eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſ„ mum per ignorantiam deliquerint: aliter „ vero, qui ſemel a peccatis & dæmonis ſer„ vitute liberati, & accepto Spiritus ſancti „ dono ſcientes templum Dei violare non for„ midaverint. Et divinam clementiam de„ cet, ne ita nobis absque ulla ſatisfactione, „ peccata dimittantur, ut occaſione accepta „ peccata leviora putantes in graviora laba„ mur. Proculdubio enim magnopere a pec„ cato revocant, & quaſi fræno quodam „ coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautio„ resque & vigilantiores in futurum pœniten„ tes efficiunt: medentur quoque peccato„ rum reliquiis, & vitioſos habitus male „ vivendo comparatos contrariis virtutum a„ ctibus tollunt DEBENT ergo ſacerdo„ tes Domini, quantum ſpiritus & prudentia „ ſuggeſſerit pro qualitate criminum & pœ„ nitentium facultate ſalutares & convenien-

„ tes

„ tes ſatisfactiones injungere; ne ſi forte pec-
„ catis conniveant, & indulgentius cum pœ-
„ nitentibus agant, leviſſima quædam opera
„ pro graviſſimis delictis injungendo, alieno-
„ rum peccatorum participes efficiantur. Ha-
„ beant autem præ oculis, ut ſatisfactio,
„ quam imponunt, non ſit tantum ad novæ
„ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamen-
„ tum, ſed etiam ad præteritorum peccato-
„ rum vindictam, & caſtigationem. Nam
„ claves ſacerdotibus non ad ſolvendum dun-
„ taxat, ſed etiam ligandum conceſſas etiam
„ antiqui Patres & credunt, & docent &c. „
hæc clare noſtram ſententiam demonſtrant.

Prob. II. Traditione, unde Tridentinum 246
ſuam hauſit Doctrinam, S. CYPRIANUS ſerm.
de lapſis: „ Quam magna deliquimus, tam
„ granditer defleamus - - pœnitentia crimi-
„ ne minor non ſit. Putasne tu Dominum
„ cito poſſe placari? „ Idem S. Pater a-
gens contra Sacerdotes, qui facile pœniten-
tes reconciliabant ante peractam ſatisfactio-
nem: „ Qui peccantem blandimentis palpat,
„ peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec com-
„ primit delicta ille, ſed nutrit. at qui con-
„ ſiliis fortioribus redarguit - - promovet ad
„ ſalutem - - - oportet & Dei Sacerdotem
„ non obſequiis decipientibus fallere, ſed re-
„ mediis ſalutaribus providere. Imperitus
„ eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus
„ manu parcente contrectat. Aperiendum
„ vulnus eſt, & ſecandum. vociferetur, &

„ clamet licet, & conqueratur æger impa„ tiens per dolorem, gratias aget poſtmo„ dum, cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit e„ nim novum genus cladis - - - acceſſit ad „ cumulum ſub miſericordiæ titulo - - - „ blanda pernicies NB. *contra Evangelii vi„ gorem* - - non quærunt ſanitatis patien„ tiam, nec veram de ſatisfactione medici„ nam. „ S. AMBROSIUS ad virg. lapſam cap. 8. „ Quanta putas, & qualis neceſſa„ ria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, „ aut certe excedat? grandi plagæ alta & „ prolixa opus eſt medicina. Grande ſcelus „ grandem habet neceſſariam ſatisfactionem „ S. PACIANUS paræneſi ad pœnitentiam. „ Facinoris viam monſtrat innoxiis, qui no„ centibus poſt ſcelera blanditur. „ Id patet etiam ex Conciliis TOLETANO III. can. 9. „ Comperimus, per quasdam Hiſpaniarum „ Eccleſias non ſecundum canonem, ſed fæ„ diſſime pro ſuis peccatis homines agere „ pœnitentiam; ut quotiescunque peccare „ libuerit, toties a presbytero ſe reconciliari „ expoſtulent: & ideo pro coercenda tam „ execrabili præſumptione id a ſancto Con„ cilio jubetur, ut ſecundum formam cano„ num antiquorum dentur pœnitentiæ. „ Sic alia quoque Concilia, & libri pœnitentiales eorum juſſu editi: ex quibus omnibus evidens eſt, Confeſſarios proportionatas ſatisfactiones imponere obligatos eſſe.

247 *Prob. III.* Jure naturæ & Divino requiritur condigna, aut ſaltem poſſibilis ſatis-

factio compenſatoria pro injuria: ergo cum in S. tribunali, ubi pœnitens ſua peccata ejus poteſtati ſubjicit, Sacerdos Dei loco Judicis munere fungatur, hinc juxta arbitrium offenſi ſatisfactionem proportionatam injungere debet; cum Dominus, qui veniam ſpopondit, a jure ſatisfactionis proportionatæ nihil remiſerit. Solvere poteſt Sacerdos a reatu culpæ & pœnæ æternæ: non item ab obligatione naturali, ad quam per commutationem in opera proportionata pœnitentem ligare debet. Ita propemodum ratiocinatur S. Cyprianus cit. lib. de lapſis. „ Nemo „ ſe fallat. ſolus Dominus veniam peccatis „ poteſt largiri (ſine ulteriore ſatisfactione „ laborioſa, ut fit in Baptismo) nec remitte„ re aut donare indulgentia ſua ſervus po„ teſt, quod in Dominum commiſſum eſt. „ Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt. „ Nil ſibi uſurpat humana ſententia, niſi an„ nuat & cenſura divina. Sola ſupereſt pœ„ nitentia, quæ ſatisfaciat. Deus quantum „ Patris pietate indulgens ſemper ac bonus „ eſt, tantum judicis majeſtate metuendus „ eſt. „

Prob. IV. Tota retro antiquitas graviſſimas pœnitentibus inflixit ſatisfactiones, criminum quantitati commenſuratas, ut conſtat ex Canonibus pœnitentialibus, & ex quatuor pœnitentium ſtationibus ſeu gradibus. Jam vero juxta regulam S. Augustini quod ubique, quod ab omnibus, quod

ſemper retentum eſt, nec Conciliis conſtitutum legitur: ad divinam inſtitutionem referendum eſt. Tenentur ergo jure divino Sacerdotes proportionatas delictis imponere ſatisfactiones.

249 *Prob. II.* pars, quod pœnitens eam teneatur acceptare. 1. Quidem ex veteris Eccleſiæ continua praxi, quæ non plebejos tantum, ſed ipſos etiam Reges ac Imperatores pœnitentiæ legibus ſubjecit, ac tamdiu ab Eccleſiæ aditu, & Sacramentorum communione removit, quoad usque impoſitam ſatisfactionem humiliter compleviſſent. 2. Quando ex una parte datur jus activum, debet ex altera parte dari jus paſſivum, ſeu obligatio: atqui Sacerdos habet jus activum a Deo ſibi commiſſum imponendi ſatisfactiones proportionatas, ergo pœnitens habet obligationem acceptandi. 3. Pœnitens jure divino obligatur peccata ſubjicere clavibus Eccleſiæ: atqui claves non ſunt tantum ad *ſolvendum*, ſed etiam ad *ligandum*, ſeu *obligant* ad ſatisfactionem, ut Tridentinum clare aſſerit. Ergo jure divino obligatur ad acceptandam ſatisfactionem proportionatam. Hinc concors eſt theologorum; ſi laxiores probabiliſtas, qui Theologi nomen vix merentur, excipias, ſententia, graviter peccare pœnitentem, & abſolutionis eſſe incapacem, ſi rationabilem a confeſſario injunctam pœnitentiam acceptare recuſet, nec poſſe ſic impoſitam ab alio confeſſario immutari, niſi cognito pœnitentis ſta-

tu eam manifeſte irrationabilem deprehenderit, quod facile ex dictis colligitur.

Objic. cóntra I. Reſolutionem. Sacer- 250
dos non eſt Judex neceſſarius, ſed arbitrarius, cui, ut ſe ſubjiciat, liberum eſt pœnitenti: ergo etiam liberum eſt ei ſe ſubjicere tantum quoad culpam, & non etiam quoad pœnam temporalem. Ita ratiocinatur Scotus. II. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem vitæ præſentis, quæ ſit per ſententiam Sacerdotis, eſt privilegium conceſſum pœnitenti: atqui privilegio pro ſe inducto poteſt quisque renuntiare: ergo pœnitens ſatisfactionem temporalem differre in vitam alteram, & eam in purgatorio luere poteſt: ergo non tenetur acceptare pœnitentiam a confeſſario injunctam.

Respond. ad I. *diſting.* Sacerdos *determinatus*, eſt judex arbitrarius, *conced.* Sacerdos aliquis *indeterminatus, nego.* Jure enim divino tenetur alicui, vel huic, vel illi peccata exponere, ejusque judicio ſe ſubmittere: cui cum ſe ſubjecerit, ſubditus eſt ejus divinitus conceſſæ poteſtati clavium, quæ non eſt tantum ad *ſolvendum*, ſed etiam, & quidem jure divino, non ex libera electione pœnitentis, ad *ligandum* conceſſa. Non eſt ergo liberum pœnitenti, ſe ſacerdoti tantum ſubmittere quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam temporalem; maxime cum ſatisfactio ſit pars ſaltem integralis Sacramenti, quam immutare vel tollere non eſt in arbitrio pœnitentis.

Re-

RESPOND. ad II. *disting. maj.* est privilegium, ex una parte, *conced.* ex omni parte, *nego.* In tantum est privilegium, in quantum æterna poena, cujus reus erat peccator, & poena temporalis, alias gravissima, commutatur in respective leviorem, viribus poenitentis proportionatam: in quantum vero homo etiam in hac vita Sacramentum per satisfactionem impositam integrum reddere, & in quantum satisfactionem æquivalentem & possibilem præstare debet, non est privilegium, sed jure naturali & divino est necessarium. *Disting.* aliter *maj.* commutatio in poenam temporalem, *quatenus* præcise *vindicativam*, est privilegium, & hanc posset homo differre in purgatorium: *trans.* in temporalem *qua compensatoriam*, & respondentem justitiæ commutativæ, est privilegium, cui potest renuntiare, & eam differre in purgatorium, *neg.* Debet enim homo in hac vita agere fructus dignos poenitentiæ: debet Deum pro possibili studio placare; secus sincera non erit ejus poenitentia. Ex hoc enim capite vetus Ecclesia male sensit ac pene desperavit de poenitentiam agere detrectantibus, & quos ob morbum absolverat, sanitati restitutos pristino poenitentiæ gradui subjecit, ut stadium absolverent integrum. Cæterum si etiam has satisfactorias poenas in alteram vitam differre, impune liceret, stultissimum tamen id foret; quia hi tales se ipsos privant tot fructibus voluntariæ satisfactionis, augmento gratiæ, & gloriæ, & quia, cum operibus respective levissi-

viſſimis poſſent placare Deum in hac vita, pœnas quaſi infinite acerbiores ſeligunt in purgatorio, de cujus igne ſcribit S. Augustinus enarrat. in Pſalm. XXXVII. n. 3. *gravior erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Mirum ergo videtur, quod confeſſarii quidam, qui laxiſſimis ſuis opinionibus mitiſſimi eſſe ſtudent erga ſuos pœnitentes, delicatiſſimis hominibus ſuadere velint, ut atrociſſimas purgatorii pœnas comparative leviſſimis hujus vitæ ſatisfactoriis operibus anteponant.

Resolutio II. Si Sacerdos leviorem, 251
quam oportuerat, impoſuerit pœnitentiam, tunc ipſe pœnitens jure divino & naturali obligatur, graviorem & proportionatam ſatisfactionem ſponte in ſe ſuſcipere.

Sequitur hoc ex dictis, & probatur. 1. Evangelium requirit ab homine *fructus dignos pœnitentiæ,* id eſt opera ſatisfactoria: atqui ab hoc præcepto & ipſa obligatione naturali ignorantia aut conniventia Sacerdotis pœnitentem liberare nequit: ergo manet hoc caſu illa obligatio. 2. Non eſt Sacerdoti data poteſtas, ut proportionatam ſatisfactionem, jure naturæ & divino debitam, penitus tollere poſſit: ergo quando Sacerdos ſua poteſtate abutitur, reus per hoc a ſua obligatione non eximitur, ſed manet illa, quam habuit ante uſum Sacramenti. Hinc ſequitur, quantum confeſſarii pœnitentibus hac ſua conniventia noceant: quantum etiam ipſi pœnitentes ſe de-

decipiant, dum mitissimos, ne dicam laxissimos, confessarios studiose seligunt; nihil enim inde suae obligationis deperdunt, periculo se autem exponunt nullitatis Sacramenti defectu propositi satisfaciendi Deo pro injuria juxta arbitrium Dei.

252 Caeterum cum Concilium Trident. dicat, satisfactionem, quam Sacerdotes imponere debent, non debere tantum esse ad *novae vitae custodiam*, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, & castigationem; per se consequitur, opera injungenda, quae alias debent esse actiones moraliter bonae, ac supernaturales, cum secus non essent salutares, insuper debere esse non solum medicinales sive curatorias, sive praeservatorias, sed etiam compensatorias, & vindicatorias, id est opera laboriosa, & afflictiva, de quibus legi meretur D. Habert. Quoad proportionem satisfactionis, cum criminibus poenitentis aliquomodo observandam, necessaria aut utilis est aliqua canonum poenitentialium, qui in decreto Gratiani habentur, notitia: non quidem ut easdem poenas hodie infligat sacerdos, sed ut de gravitate criminum, eorumque consueta olim castigatione judicium ferre, eorumque propositione poenitentem ad Satisfactionem respective multo leviorem adducere valeat. S. Carolus Borromaeus quaedam proposuit poenitentiarum genera, quae hoc tempore nobilibus aut divitibus imponi queunt,

quae

quæ adducit Cl. D. Amort. ubi & alia addit, quæ poſſint plebeis injungi: pœnitentias publicas, quæ hodie quoque pro publicis peccatis imponi poſſint, varias ex Genetto idem D. Amort recenſet, quæ ut ibi legantur vehementer opto; nec enim iſta exſcribere vacat.

Objic. contra II. Reſolutionem. Pœni- 253
tens non eſt ſui ipſius judex, nec miniſter Sacramenti: non poteſt ergo ſibi imponere ſatisfactionem, quæ ſit Sacramentalis. II. Obligationem faciendi dignos pœnitentiæ fructus, quam Chriſtus impoſuit, Eccleſia duobus modis explicat. 1. Cum per ſuum miniſtrum determinatam injungit ſatisfactionem. 2. Dum communia & publica præcipit pœnitentiæ opera, ut jejunia, ſtationes, ſupplicationes, preces &c. ergo nihil aliud ſuper addendum eſt.

Respond. ad I. *Diſt.* Non eſt ſui ipſius judex, quoad jurisdictionem abſolutionis, *Conced.* quoad executionem, in quantum ſatisfactionem vel vi Sacramenti debitam rite exequitur, vel culpa ſacerdotis omiſſam jure naturæ & divino ſupplens exſolvit, *nego.* hinc ait Paulus I. Corinth. XI. 31. *ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Respond. ad II. Eccleſia non probat eorum ſacerdotum conniventiam, qui ſatisfactiones proportionatas non imponunt. Quod attinet opera pœnitentiæ communia, non ideo Eccleſia definit, quod cuilibet ſufficiant,

ciant, omnemque reatum pœnæ exſolvant, ſed partem ſaltem præſcribit, & cætera relinquit conſcientiæ fidelium, quos frequenter tamen ad alia pœnitentiæ opera ſponte electa adhortatur.

254 Objic. Contra utramque: ſi ſacerdos imponere, aut pœnitens in ſe ſuſcipere obligaretur ſatisfactionem commenſuratam gravitati criminum, tunc ea deberet eſſe infinita, cum peccati gravitas, & injuria *Deo illata* ſit infinita, atqui hoc dici nequit. Ergo.

II. Neceſſaria pœnæ commenſurandæ quantitas & proportio incognita eſt: ergo nec poteſt, nec tenetur reſpicere ad hanc proportionem.

III. Eccleſia quondam determinavit ſatisfactiones cuilibet peccato proportionatas, ut conſtat ex canonibus pœnitentialibus: atqui illi canones contraria conſuetudine jam abrogati ſunt: ergo & abrogata eſt obligatio imponendi ſatisfactiones proportionatas.

IV. Jam a pluribus ſæculis, ſaltem in occidente, conſuetudo invaluit, ut gravioribus quoque delictis leves injungantur pœnitentiæ: atqui conſuetudo vim legis habet etiam in hac materia; damnata enim fuit ab Alexandro VIII. ſequens propoſitio: *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu ſed abuſu.* Ergo &c.

V. Non

V. Non eſt potior ratio, cur in baptiſmo non debeat injungi ſatisfactio proportionata, debeat autem in ſacramento pænitentiæ; cum utrumque ſit ſacramentum mortuorum, & æqualis efficaciæ. *Ergo.* &c.

Resp. ad I. *neg. ſequel. maj.* Pœna enim æterna, quæ peccatis eſſet commenſurata, ex Dei miſericordiſſima voluntate virtute clavium commutatur in temporalem, ſed proportionatam tamen.

Respond. ad II. *neg. conſeq.* Cum enim perſpectam habeat gravitatem delictorum, debet ſuo judicio, *quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit,* ut ait Tridentinum, proportionatam & afflictivam injungere pœnam; id enim certum eſt, pœnas in altera vita fore graviſſimas, quæ leviore pœnitentia in hac vita non expunguntur.

Respond. ad III. Canones pœnitentiales non erant quovis ſæculo omnino iidem, ſed quoad exteriorem diſciplinam varii & temporibus ac hominum fervori vel infirmitati erant accommodati. quantum ad externam ergo diſciplinam fuerunt abrogati; non vero quoad eſſentiam ſatisfactionis, quæ conſiſtit in proportione.

Resp. ad IV. *diſting.* Conſuetudo illa invaluit apud laxiores probabiliſtas, *conced.* in Eccleſia, *nego.* Hæc enim conſtanter urget proportionem ſatisfactionis. Non eſt itaque conſuetudo proprie dicta, vim legis habens, quia neque eſt rationabilis, ſed juri divino con-

traria, ab Eccleſia nunquam approbata: hinc corruptela dicenda eſt verius, quam vera conſuetudo; maxime quod ſapientiores prælati & Theologi ei conſtanter adverſentur, tum ſcriptis ſuis, tum praxi. Propoſitio ab Alexandro damnata hoc unum probat, non debere abuſum dici, quod juxta hodiernam Eccleſiæ praxin abſolutio præmittatur expletæ ſatisfactioni, prout patet ex propoſitione immediate præcedente. *Per praxin mox abſolvendi* &c.

Resp. ad V. Nego *anteced.* Ratio enim diſparitatis eſt; quia Deus in ſacramento Baptiſmi cum reatu culpæ & pœnæ æternæ etiam temporalem dimittit, quo ſublato ceſſat etiam ſatisfactionis obligatio. Ideo autem remittit in Baptiſmo omnem reatum pœnæ temporalis, non item in pœnitentiæ ſacramento; quia ante Baptiſmum peccatur plerumque per ignorantiam, nec tantis beneficiis homo eſt Deo obſtrictus, quantis baptizatus, qui propterea per malitiam peccans multo magis erga Deum eſt ingratus, & majoris indignationis reus. Eſt hæc reſponſio Concil. Trident. ſeſſ. XIV. cap. II. ℣. *Alius eſt præterea.* Et cap. VIII. *Sane & divinæ juſtitiæ ratio* &c.

255 Resolutio III. Sacerdotes etiam tempore Jubilæi, aut indulgentiæ plenariæ, tenentur imponere ſatisfactiones criminibus pœnitentis proportionatas, non tantum *medicinales*, ſed etiam *compenſatorias.* Hanc reſolutionem ſolide demonſtrat Cl. D. Amort, qui etiam

etiam Tractatu de indulgentiis probat, neminem fructum plenariæ indulgentiæ acquirere, niſi habeat propoſitum, Deo congrue pro injuria ſatisfaciendi.

Prob. I. Concil. Trident. dum confeſſariis præcipit, aut potius præceptum divinum inculcat imponendi pœnitentibus proportionatas ſatisfactiones, nullum tempus vel Jubilæi, vel plenariæ indulgentiæ excepit: quin alibi, nimirum ſeſſ. XIV. cap. 2. expreſſe declarat, „ ad illam integritatem, id eſt plenariam ab omni reatu pœnæ temporalis immunitatem ſeu liberationem, quam præſtat baptiſmus, per ſacramentum pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus NB. *divina id exigente juſtitia* nos pervenire nequaquam poſſe. „ Et ſeſſ. VI. cap. 14. docendum eſt, „ Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali, eaque contineri. . . ſatisfactionem per jejunia, Eleemoſynas, & orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia &c. „ Ergo omni tempore etiam indulgentiarum hæc manet obligatio, ejusmodi opera ſatisfactoria tum imponendi, tum acceptandi, aut ſponte ſuſcipiendi.

Prob. II. Bullæ pontificiæ plerumque 256
concedunt indulgentias ſub hac formula: *vere pœnitentibus & contritis:* atqui contritio & pœnitentia ex ſua natura involvunt obligationem, Deo exhibendi ſatisfactionem compenſatoriam; & contritio quidem dicit propoſi-

tum hujus ſatisfactionis: pœnitentia autem actualem executionem. Nam, ut ſæpe obſervant Patres, aliud eſt pœnitere, aliud pœnitentiam agere. prius ad propoſitum, poſterius ad propoſiti executionem pertinet.

257 *Prob. III.* Eædem Bullæ requirunt, ut omnibus, qui in ordine ad lucrandas indulgentias confitentur, imponantur a ſacerdotibus *ſalutares* pœnitentiæ; cum ergo non omnes indiſcriminatim indigeant pœnitentia *medicinali*, in ſenſu adverſariorum tantum conſuetudinariis neceſſaria, ſequitur, quod per pœnitentiam *ſalutarem* intelligatur ſatisfactio compenſatoria.

258 *Prob. IV.* Nicolaus V. anno Jubilæo 1450. graviſſimam omnibus imponit pœnitentiam in ordine ad lucrandam plenariam indulgentiam. Nimirum ut „ omnis perſona „ utriusque ſexus per 7. ferias ſecundas, & 7. „ quartas a carnibus, & 7. ferias ſextas a lacticiniis abſtineat, & illis ſextis feriis jejunet, & per eos 21. dies omni mane matricem Eccleſiam adeat, Eccleſiam ter circumeat, & pro defunctis 10. Pater & Ave, „ in Eccleſia vero triginta Pater & totidem „ Ave dicat. &c. Hanc pœnitentiam etiam „ ſacerdotes ſæculares facere teneantur. &c. „ Ultra hanc pœnitentiam volumus, quod „ quisque ad reparationem Eccleſiarum & „ piorum operum mediam partem illius ſummæ pecuniarum contribuat, quam ipſe eundo, ſtando, & redeundo veriſimiliter expo-

„ ſuis-

„ ſuiſſet, ſi in propria perſona (ex Diœceſi „ Auguſtana, ad quam hæc Bulla directa fue- „ rat) ad limina apoſtolorum acceſſiſſet.„ Non eſt veroſimile, quod omnes indulgentiam lucraturi hac medicina opus habuiſſent: ergo pœnitentia *compenſatoria* a Summo Pontifice requiſita fuit.

Prob. V. Plures Pontifices apud D. A- 259
MORT ſuppreſſerunt indulgentias immodicas ab Epiſcopis conceſſas, ne fideles ſibi falſo perſuadeant, ſe ab onere ſatisfactionis fieri immunes. Jam iſtæ indulgentiæ tantum erant particulares; ex quo colligitur, moderandas multo magis eſſe plenarias, ne falſa plebis & caſuiſtarum de ſublata ſatisfactionis obligatione perſuaſio magis invaleſcat.

Prob. VI. Alii Pontifices præter opera 260
in bullis expreſſa inſuper inculcant, ut fideles aliis operibus ſatisfactoriis peccata ſua omni ex parte expiare ſtudeant. Ita PAULUS II. Alii, ut INNOCENTIUS XII. in inſtructione pro Jubilæo docet, indulgentiis ſatisfactiones tantum minui, totum autem expungi debere operibus laborioſis, ac meritoriis in ſe ſuſceptis. Quæ omnia fuſius perſequitur D. AMORT, ubi & Patres in hanc ſententiam legi poſſunt, & Theologi veteres.

OBJIC. contra III. Reſolutionem. Per in- 261
dulgentiam plenariam remittitur totus reatus pœnæ temporalis: ergo tempore indulgentiarum nulla imponenda eſt ſatisfactio *vindicativa*, ſed pœnitentia tantum *medicinalis*.

II. Pontifices in suis bullis indulgentiarum præcipiunt tantum imponi pœnitentiam *salutarem*, id est salubrem, seu *medicinalem*. Ergo non *vindicativam*.

III. In concessione indulgentiarum particularium plerumque dicebant, se de *injunctis*, vel *injungendis* pœnitentiis tot annos vel dies relaxare: ergo per indulgentiam plenariam volebant pœnitentes liberare ab omnibus pœnitentiis injunctis vel injungendis.

IV. Ex hoc sequeretur nullum esse discrimen inter indulgentiam plenariam, & partialem, si etiam post plenam indulgentiam supersit obligatio satisfaciendi.

Respond. ad I. *disting.* Remittitur totus reatus pœnæ temporalis, *vindicativæ, trans.* pœnæ etiam *satisfactoriæ, nego. subdist.* in eo, qui est rite dispositus, habetque propositum satisfactionis congruæ, adhibuitque conatum, *trans.* secus. *nego.* sensus patet ex dictis n. 18. seq. *disting.* etiam *conseq.* ergo nulla imponenda est vindicativa, *qua talis*, & quæ respondet justitiæ *distributivæ, trans. quæ talis*, & respondet justitiæ *commutativæ*, debetque esse *compensatoria* pro injuria, *nego.*

Respond. ad II. Nego, quod per *salutarem* intelligatur tantum *medicinalis præservativa*, ut volunt Adversarii; nam etiam *compensatoria* est salutaris. vel *disting.* intelligunt medicinalem tantum *præservativam*, *nego. Curativam*, quæ & ipsa est afflictiva pro qualitate ægri, *conced.* ut enim vitiosi habitus extirpentur,

&

& generalis ad peccandum proclivitas refrænetur, pœnitentiæ afflictivæ, quæ hominem gravitatis peccati admonent, maxime conducunt, & divinam indignationem avertunt.

Respond. ad III. nego *conſeq.* Cum enim Pontifices in Bullis indulgentiæ *plenariæ* nunquam omnino dicant, ſe plenam ac totalem de *injunctis* vel *injungendis* pœnitentiis concedere remiſſionem, de indulgentiis autem *particularibus* conſtanter dicant, ſe tot annos vel dies de injunctis, vel injungendis relaxare, ſignum eſt, eos per *plenam* indulgentiam nolle fideles eximere ab omni obligatione ſatisfaciendi, vel *diſting.* volunt per plenam indulgentiam liberare ſideles ab omnibus pœnitentiis præciſe *qua vindicativis, tranſ. qua compenſatoriis*, quas ſacerdos Dei nomine pœnitenti reddit proportionatas, *nego.*

Respond. ad IV. nego *ſequel.* diſcrimen enim eſt; quod *plena* indulgentia homini rite diſpoſito, & ad ſatisfactionem firmiter parato, atque conatum debitum adhibenti *omnem* reatum pœnæ temporalis poſt abſolutionem reſiduæ *de ſe* remittere *poſſit: partialis* autem *de ſe* tantum *partem* pœnarum reſiduarum remittat. Raro autem contingit, hominem ita eſſe diſpoſitum; ut totum fructum plenariæ indulgentiæ acquirat, defectu propoſiti & conatus ſatisfaciendi.

Objic. contra eandem. In Bullis pontifi- 262
cum non exprimitur iſta conditio, quod ad lu-

crandas plenarias indulgentias requiratur propositum congrue satisfaciendi Deo. Ergo propositum hoc non est necessarium; secus deciperentur fideles, nec debet id a Theologis confingi.

II. S. Thomas docet, quod indulgentia etiam indiscrete, & sine rationabili causa concessa, illicita quidem sit ex parte dantis, suum tamen effectum plenarium habeat in *persolvente* opera praescripta: ergo *multo magis* indulgentia debite concessa liberat hominem ab omni obligatione satisfaciendi. anteced. prob. sic enim scribit in 4. D. XX. Q. 1. A. III. quaest. 2. ad 1. „ In arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de poena remittatur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias; nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur. „

III. Idem S. Doctor ibidem Art. III. ad 4. dicit consilii tantum esse, operibus poenitentiae incumbere. „ Non est, inquit, in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae injunctis abstineant, . . . praecipue, quia quandoque sunt plurium debitores, quam credant. „

Respond. ad I. *disting.* non exprimitur ista conditio *explicite, conced. implicite, nego.* Indul-

dulgentiæ enim concedi ſolent *vere* pœnitentibus; atqui ad *veram* pœnitentiam neceſſarium eſt propoſitum congrue ſatisfaciendi Deo.

Respond. ad II. S. Thomas loquitur eo tempore, quo dabantur indulgentiæ de injunctis pœnitentiis canonicis, adhuc ſeveriſſimis. v. g. plurium quadragenarum in pane & aqua, quæ mitigabantur quandoque per indulgentias partiales. Vult ergo, quod pœnitens, qui lucratur ejusmodi indulgentiam partialem, etiam indiſcrete, modo valide conceſſam, non teneatur ex obligatione *ſacramentali* injunctas ſibi pœnitentias perſolvere: quamvis propterea ab obligatione *naturali* ſatisfaciendi pro injuria Deo illata non eximatur; Nam Ipſe docet in IV. D. XX. q. I. A. 2. qq. 3. ⊙ peccatum non debere eſſe impunitum. „ Secundum ordinem, ait, quem nunc Deus rebus impoſuit, non poteſt peccatum congrue ſine pœna dimitti. Nec ſequitur, quod ſi congrue pars pœnæ dimittitur, quod etiam congrue tota dimittitur; in eo enim, qui peccavit, eſt aliquid quod repugnat impunitati. „

Respond. ad III. docet, eſſe tantum de conſilio, in eo caſu, quo quis exiſtimat, ſe lucratum fuiſſe integre partialem illam indulgentiam, atque expunxiſſe ſatisfactionem ſacramentalem: ſed quia neſcit, an non ſit plurium debitor, hinc negligere non debet pœnitentiæ ſtudium pro peccatis occultis, aut aliis

poenis residuis. Cum ergo homo nunquam sciat, se esse immunem ab omni reatu poenæ, aut, si probabilius judicet, se non esse immunem; utique semper adest obligatio naturalis, Deo præstandi satisfactionem compensatoriam.

263 Quæritur hoc loco, an poenitens satisfacere possit in peccato mortali.

Respondent cum Estio plures, *eum, qui est in actu & affectu peccati mortalis non satisfacere, bene autem illum, qui est tantum in reatu gravis peccati.* primam partem probant. 1. Quia satisfactio fieri debet ex odio vitæ veteris cum animo placandi Deum, eique placendi, qui non potest conjungi cum actuali offensa, quæ reperitur in actu peccati. 2. Non potest per nova debita prioribus satisfieri. Probant 2. partem. Cui peccatum placet, ille Deum placare nequit, nec ei satisfacere: at qui habet affectum peccati, ei offensa Dei placet. *Ergo.* Prob. 3. partem ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ absolutionem non raro tam diu distulit, donec poenitens totam satisfactionem expleverit. Ergo erat persuasa in reatu peccati Deo satisfieri posse; Nam Deo etiam pro culpa satisfieri debet, & poenitens operibus poenitentiæ *de congruo* late accepto ad justificationem se disponere valet, ut nimirum gratiam & veniam consequatur. Hinc ad probandam contritionis ac propositi veritatem etiam hodie quandoque expedit absolutionem differre, ut poenitentes interea operibus laboriosis,

rioſis ad gratiam contritionis & ſacramenti magis ſe diſponere ſatagant.

Antiquiores Theologi plerumque nega- 264
bant, Deo in peccato ſatisfieri poſſe.

Prob. I. Ex Paulo, qui I. Corinth. XIII. 3. ait: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnem ſubſtantiam, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 2. Ut Deus ſatisfactione noſtra placetur, debet illa a Deo acceptari; cum ex ſua natura hanc vim non habeat: atqui peccatorum opera Deus non acceptat, ſed amicorum. 3. Opera mortua non habent meritum, ſed ad ſummum quamdam congruitatem ad gratias actuales, aut bona temporalia, ut docet D. Th. in ſupplem. Q. XIV. a. 4. atqui opera etiam bona peccatoris ſunt mortua; *ergo.* 4. Quod pœna æterna commutetur in temporalem, provenit ex reconciliatione & amicitia Dei ad hominem: ergo ea non mutatur peccatori: conſequenter ſuis operibus non ſatisfacit. 5. Trident. Concil. Seſſ. XIV. cap. VIII. docet, ſatisfactiones noſtras habere vim ex meritis Chriſti, in quo vivificamur, meremur, & ſatisfacimus: ergo qui in Chriſto non vivit, non ſatisfacit. 6. Catechiſmus Romanus parte II. cap. V. n. 74. ad ſatisfactionem requirit, ut, qui ſatisfacit, juſtus ſit, ac Dei amicus. 7. Opera bona & ſupernaturalia peccatoris non ſunt meritoria de condigno, nec de congruo ſtricte ſumpto: ergo nec ſunt ſatisfactoria, quia inter debitum & ſolutio-

ſolutionem requiritur quædam æqualitas ſeu condignitas. 8. Vel ſatisfaceret ex opere operantis, vel operato? Non 2. quia ſacramenti gratia non exiſtit in peccatore: non 1. quia principio meriti, charitate habituali, eſt deſtitutus.

Cl. P. Berti diſtinguit, & utramque ſen-
255 tentiam combinare ſtudet. Peccator in peccati gravis reatu ſatisfacit præcepto *confeſſarii* in tantum, ut novum reatum *peccati* non incurrat: non autem ſatisfacit de condigno, nec fit immunis ab onere ſatisfaciendi pro pœna temporali, ex remiſſo peccato reſidua. Vid. S. Thomas in IV. D. XIX. A. 5. & in ſupplemento Q. XIV. a. 4. & art. 2.

Mihi videtur, peccatorem ſatisfacere juſtitiæ *vindicativæ*, quam Sacerdos Dei nomine imponendo pœnitentiam exercuit, ita, ut ſi in peccato opera illa perſolverit, ea poſt iteratam juſtificationem repetere non teneatur: non autem ſatisfacere juſtitiæ *commutativæ*, ſed manere obligatum, ut pro injuria Deo ſatisfactionem compenſatoriam præſtet. Forte etiam diſtinguendum inter peccatorem, qui in ordine ad impetrandam abſolutionem & remiſſionem opera illa aut ſponte in ſe ſuſcipit, aut per eccleſiam impoſita exercet cum voto ſacramenti conjuncta: & inter illum, qui gratiam in ſacramento acceptam novo peccato amiſit, nec de reconciliatione ſollicitus eſt. Prioris opera forte Deus acceptat in partem ſolutionis; vix autem poſterioris. Sit hoc ſapientiorum

rum arbitrio relictum. Interim ex ipsa opinionum incertitudine colligitur, quantopere relapsus in peccatum timendus sit.

§. III.

De Ritu Pœnitentiæ veteris.

Angusti pagellarum limites faciunt, ut materiam de se amplissimam, nec minus utilem, quam necessariam, de veterum pœnitendi ratione, intra angustos cancellos concludere, ac non nisi rudem ejus ideam hic delineare queam. plura apud dogmaticos, & Historicos, MORINUM præcipue, qui pœnitentiæ Historiam justo volumine complexus, ac pene exhausisse videtur, invenientur. WITASSIUS totam pœnitentiæ publicæ Historiam in septem distinguit temporum intervalla, quasi totidem Epochas, unde varia ejus disciplina colligitur. 266

I. Apostolorum ævo in usu erant pœnitentiæ publicæ, breviores tamen & mitiores, nec ulli crimini venia, seu absolutio *canonica* negata fuit. Id colligitur e S. PAULO, qui incestuosum Corinthium Satanæ tradidit, seu pœnitentiæ publicæ subjecit, ex n. 241. sed post annum denuo absolvit II. Corinth. II. 6. *Ne abundantiori tristitia absorberrtur.* 267

Idem constat e S. JOANNE Evangelista, qui Juvenem, quondam a se conversum, deinceps ex latrone pœnitentem, post aliquot menses

ſes communioni Eccleſiæ reſtituit, ut ex CLEMENTE Alexandrino refert EUSEBIUS H. E. II. 17.

268 II. Ab Apoſtolis ad Montanum, id eſt, usque ad finem fere ſæculi II. eadem paſſim obtinuit diſcretio; teſtatur enim S. IRENÆUS adverſus hæreſ. I. 13. n. 5. nov. edit. mulieres a Marco præſtigiatore ſeductas, poſt flagitii confeſſionem converſas, & ad Eccleſiam admiſſas fuiſſe. De Natali confeſſore, ab hæreticis autem ſeducto, & ordinato ſectæ Epiſcopo, teſtatur EUSEBIUS H. E. Lib. V. cap. 28. eum poſt inſignia publicæ pœnitentiæ, ſponte tamen in ſe ſuſceptæ, ſpecimina, *vix tamen* ad communionem admiſſum fuiſſe. E qua narratione id unum colligere volui, haud quidem facilem pœnitentibus ad Eccleſiæ communionem fuiſſe viam, neque tamen longo tempore occluſam.

CONSTITUTIONES Apoſtol. quarum Auctor ſæculo ſaltem ſecundo medio uſitatam Eccleſiæ diſciplinam deſcripſit, Lib. II. cap. 16. Hanc ejus depingit ideam: „Cum videris aliquem deliquiſſe, acerbe ferens jube eum „ ejici foras; quo exeunte Diaconi etiam „ moleſte ferant, & inquiſitum detineant extra Eccleſiam . . . tunc jubeas eum intrare, & examine facto, an ducatur pœnitentia, dignusque ſit qui in Eccleſiam omnino admittatur; afflictum jejuniis per dies „ hebdomadarum aut duarum, aut trium, aut „ quinque, aut ſeptem, pro ratione delicti, ita

„ illum

„ illum dimittes &c. „ In quibusdam circumſtantiis venia difficilius conceſſa fuit. Siquidem Marcion propter inceſtum cum Virgine commiſſum a Parente ſuo, optimo Epiſcopo *ab Eccleſia pulſus, cum diu, multumque ſupplicaſſet, ac pœnitentiam poſtulaſſet, hanc* tamen *a Patre precibus nullis obtinuit.* ut ſcribit S. Epiphanius Hæreſi 42. Ad Clerum Eccleſiæ Romanæ tunc vacantis converſus, & ut ait Tertullianus de Præſcriptione cap. 30. *Pœnitentiam confeſſus, cum conditioni datæ ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſi cæteros quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt.* De Diaconi cujusdam uxore a Marco hæretico perverſa idem teſtatur Irenæus loc. cit. eam omne tempus vitæ ſuæ in exomologeſi conſumaſſe. Denique hujus ævi ſcriptor Tertullianus haud mediocrem pœnitentiæ rigorem paſſim deſcribit.

III. A Montano, cui & Tertullianus a- 269
ſperi ingenii Vir acceſſit, usque ad Novati tempora eadem fere diſciplina obtinuit: niſi quod in majorem jam rigorem declinare cæperit, nondum tamen certis pœnitentiæ limitibus conſtitutis, ſed Epiſcoporum judicio determinandis. Id colligitur ex proviſorio decreto poſt mortem Fabiani R. P. a Clero Romano edito, ubi hæc leguntur apud S. Cyprianum ep. 31. edit. *Baluzii* ad finem: „ Ante conſtitutionem Epiſcopi (Romani, ſede „ tunc adhuc vacante) nihil innovandum pu„ tavimus, ſed lapſorum curam mediocriter

„ tem-

„ temperandam eſſe credimus; ut interim,
„ dum Epiſcopus dari a Deo nobis ſuſtinetur,
„ in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dila-
„ tionis ſuſtinere, cauſa teneatur, eorum au-
„ tem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exi-
„ tus dilationem non poteſt ferre, acta pœni-
„ tentia, & profeſſa frequenter ſuorum dete-
„ ſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus,
„ ſi fletibus dolentis ac vere pœnitentis ani-
„ mi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi ſe-
„ cundum hominem nulla ſubſtiterit, ita de-
„ mum caute & ſollicite ſubveniri, Deo ipſo
„ ſciente quid de talibus faciat, & qualiter
„ judicii ſui examinet pondera, nobis tamen
„ anxie curantibus, ut nec pœnam noſtram
„ improbi homines laudent facilitatem, nec
„ vere pœnitentes accuſent noſtram quaſi du-
„ ram crudelitatem. „

270 IV. A tempore hæreſis Novatianorum, quæ gravioribus ſaltem criminibus negabat veniam, auſterior introducta fuit diſciplina; maxime per conſtitutum Presbyterum Pœnitentiarium, & introductos IV. pœnitentium gradus, de quibus dicetur poſtea. Summum rigorem in Hiſpania exercuere Patres Concilii Illiberitani; ut propterea, ſed perperam, ab aliquibus Novatiani erroris habeantur ſuſpecti. Econtra S. Cyprianus in Africa teſtatur Epiſtola LII. ſe *multum de priſtina ſeveritate remiſiſſe. Libellatici* enim, ſeu ii, qui perſecutionis tempore libello dato vel recepto teſtabantur, ſe idolis ſacrificaſſe, & Chriſto renuntiaſſe, etſi hoc tantum finxerint, ut tor-

menta

menta effugerent, ſtatim admiſſi ſunt, cum tamen antea longa pœnitentia probarentur. *Sacrificatis* & thurificatis, ſeu qui revera idolis ſacrificaverant, aut thus adoleverant. Quamvis fide intus retenta, ſaltem in exitu fuit ſubventum, ſi modo pœnitentiam inchoasſent, cum antea non niſi poſt expletum pœnitentiæ curſum aut omnino nulla concederetur communio.

V. Poſt Nicænum Concilium per annos circa trecentos partim remiſit rigor, partim crevit. *Remiſit* 1. quia omnibus in Articulo mortis conſtitutis & pœnitentiam petentibus abſolutio, nempe *Canonica*, data eſt, quibus antea negabatur. 2. Clerici majores a publica pœnitentia erant exempti. 3. Hæretici, ſaltem in hæreſi nati aut extra Eccleſiam baptizati, ſine pœnitentia publica fuerunt admiſſi. Fuit autem ſeveritas major quoad hoc; quod qui in exitu fuerant reconciliati, pleno olim jure communionis gauderent, nec ad reſiduos pœnitentiæ labores ac gradus recuperata ſanitate fuerint relegati: contra poſt Concil. Nicæn. curſum ſuum ſeu pœnitentiæ integrum ſtadium conſummare debuerint. Cæterum eadem fuit pœnitentiæ diuturnitas, ſtationum apparatus; maxime quia Epiſcopi morum depravatione ingraveſcente ſolicite pœnitentiam urgere conſueverunt. 271

VI. a ſæculo VII. usque ad XII. varie mutata fuit pœnitentiæ diſciplina. Nam 1. rarus deinceps fuit uſus pœnitentiæ publicæ pro 272

peccatis occultis, antea frequentiſſimus. 2. Pœnitentiæ loco impoſitæ fuerunt peregrinationes. 3. Ejusdem loco injuncta profeſſio monaſtica. 4. Pœnitentia publice agenda redimi poterat certo precum, Pſalmorumque numero, aut certa pecuniæ ſumma; Hinc intra paucos dies plurium annorum exſolvi poterant pœnitentiæ. Inde etiam conſuetudo infligendi pœnitentias centum aut mille annorum: Inde etiam indulgentiæ mille annorum. 5. Pœnitentia redimebatur ſpontaneis flagellationibus, qui ritus a monachis traxit originem; cum enim alii certa pecuniæ ſumma pœnitentias redimerent, monachi autem paupertatis voto obſtricti hoc præſtare non poſſent, putabant ſibi in cute luendum, quod in ære nequiverant. Hic vero mos deinceps, maxime tempore S. PETRI DAMIANI ad ſæculares & delicatas quoque fœminas manavit. 6. Mutabantur pœnitentiæ in ſacras expeditiones pro recuperanda terra ſancta. 7. Poterant pœnitentiæ redimi pecuniis ad Eccleſiarum fabricam, aut alias cauſas pias collatis.

273 VII. a ſæculo XIII. rarior fuit pœnitentiæ publicæ uſus, non tamen prorſus extinctus; cum authores quidam coævi ejus meminerint. Diſtinguebatur tamen pœnitentia *publica* a *ſolemni*; quod *hæc* involveret 4 pœnitentium gradus: *Publica* autem non obſervatis iis gradibus, publice tamen quibusdam operibus ſatisfactoriis fuerit peracta.

ocus

roa;

vorti=

ra.

by =

ni =

Erant

Erant igitur quatuor publice pœnitentium 274
gradus, ſeu ordines, nimirum *flentium*, *Audientium*, *Subſtratorum*, & *conſiſtentium*, quos occaſione Novatianæ hæreſis Eccleſia ſalubriter inſtituit, & quos primus omnium in ſua Epiſtola canonica commemorat GREGORIUS Neocæſareenſis ſeu Thavmaturgus, ac deinceps ſcriptores reliqui. Ut vero, quis ſingulis pœnitentium ordinum in Eccleſia vel extra locus fuerit aſſignatus, facilius capiatur, quædam veterum Eccleſiarum delineanda eſt idea. Erant illæ olim in tres præcipue partes diviſæ, nempe 1. *ſanctuarium*, 2. *navem*, 3. *veſtibulum*. *Prima* igitur pars, *ſanctuarium* ſeu *chorus*, a reliqua Eccleſia cancellis erat ſeparatus, ut paſſim hodie cernitur. Ibi erat Altare in medio: retro illud ſedes Epiſcopi, & ex utroque latere conſeſſus ſacerdotum. *Secunda* pars vocabatur *navis*, nempe a cancellis ſanctuarii usque ad veſtibulum, in duas iterum diviſa partes per pulpitum quoddam, ſeu *ambonem*, ubi canebantur Pſalmi, legebatur Evangelium a diacono, a ſubdiacono Epiſtola, ſcriptura a lectoribus, quæ deinceps ab Epiſcopis & Presbyteris exponebatur plebi. *Tertia* pars erat *veſtibulum*, Græcis *pronaos*, *narthex*, ſeu *ferula*, eoquod longa eſſet magis, quam lata. Hæc erat porticus quædam, Eccleſiæ frontem æquans, interioribus templi portis connexa, ut in vetuſtioribus Eccleſiis vel hodie cernere licet. Extra Eccleſiam erat *atrium*, quod primum omnium in eam ingredientibus occurrebat,

cinctum undequaque tribus aut quatuor porticibus, simile hodiernis claustris, vulgo Kreuzgänge quae in ipso monasteriorum ambitu ad deambulandum patent.

In hoc atrio erant *Flentes*: in vestibulo, seu narthece, *Audientes*: in inferiore parte navis usque ad ambonem *Substrati*: ab Ambone usque cancellos sanctuarii erant *consistentes* cum caeteris fidelibus.

275 *Primus* igitur poenitentium gradus dicebatur FLENTIUM: qui sacco aut cilicio, aut lugubri veste induti, cinere conspersi caput, totique ad compunctionem compositi, reos se palam profitebantur, fidelium Ecclesiam ingredientium genibus provoluti supplicabant, ut pro se apud Deum, Episcopum, ac omnem Ecclesiam intercederent, ut ad poenitentiam agendam admitterentur.

276 *Secundus* gradus AUDIENTIUM, qui in vestibulo, narthece, seu porticu constituti post diuturnas preces ad agendam poenitentiam admissi cum catechumenis infimi ordinis, infidelibus, haereticis Psalmorum cantum, sacrae scripturae lectionem, ac expositionem audire, adeoque primae parti *missae*, dictae *catechumenorum*, interesse poterant, ante oblationem vero diaconi voce exire jubebantur. Ne in hoc quidem gradu *proprie* adhuc erant poenitentes, sed potius poenitentiae candidati, & num ex animo dolerent, explorabantur.

277 *Tertius* gradus dicebatur SUBSTRATORUM, ac proprie poenitentium, seu ad poenitentiam admis-

admiſſorum. Hi flexis genibus, facie ſqualli-da, cilicio aut ſacco induti, nudis pedibus, lacrymis perfuſi, crine demiſſo aut raſo, pro varia regionum lugendi conſuetudine, antequam ſacrum inchoaretur, ſubjiciebant capita Deo & ſacerdotibus, veniam ex toto corde flagitantes: fiebant crebræ ſuper eos manuum impoſitiones, maxime tempore jejunii: poſt catechumenos & Audientes Eccleſia ejectos manus iis imponebatur, ac ſtatim ante offertorium & ipſi exire cogebantur, ut ex conſtitutionibus Apoſtolorum, aliisque conſtat. In hoc ergo gradu imponebantur laborioſa opera, & num ea rite perſolverent, explorabant Epiſcopi, aut Pœnitentiarii. Cumque hæc eſſet proprie pœnitentium ſtatio, etiam cæteris fere longius protrahebatur.

Quartus denique erat CONSISTENTIUM, 278
qui poſt peractos pœnitentiæ labores integro ſacrificio Miſſæ cum cæteris fidelibus intereſſe, ſeu in Eccleſia conſiſtere, cum cæteris in oratione communicare poterant, jure tantum oblationis & Eucharıſtiæ privati, donec plene fuiſſent reconciliati. Quidam autem pœnitentes non ad alium, quam *conſiſtentiæ* gradum adigebantur, v. g. mulieres adulteræ; ne in criminis ſuſpicionem adductæ pœna capitali a judicio forenſi plecterentur. Quanto vero tempore in quolibet gradu plerumque verſari debuerint pœnitentes, diſcimus ex BASILIO Magno Epiſt. ad Amphiloch. can. LVI. „ Qui ſua ſponte interfecit,

„ & postea poenitentia ductus est, 20. annis
„ Sacramento non communicabit. 20. autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet 4. annis deflere, stans extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuncians. Post 4. autem annos inter auditores recipietur, & 5. annis cum ipsis egredietur. 7. autem annis cum iis, qui in substratione orant, egredietur. In 4. autem annis saltem stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis erit Sacramentorum particeps. „ Notandum tamen, istum canonum rigorem quandoque ab Episcopis pro poenitentium fervore fuisse temperatum.

279 Apud Latinos a saeculo IV. poenitentibus quoque interdictum fuerat, 1. ne conjugio jam contracto uterentur, 2. ne deinceps contraherent. 3. Ne militarent. 4. Ne negotiis saecularibus se immiscerent. 5. Ne epulis interessent. Id vero nec apud Graecos obtinuit, nec apud Latinos ante saeculum IV. Supersunt magni momenti quaestiones historicae, non quidem pro dignitate rei, sed pro superficiali saltem notitia pertractandae. 1. An omnia peccata mortalia subjecta fuerint poenitentiae canonicae, seu per canones dictatae. 2. An delicta canonica, si fuerint occulta, subjecta fuerint poenitentiae publicae. 3. An clerici ad eam agendam fuerint compulsi. 4. An haeretici? 5. an publica poenitentia semel peracta potuerit iterari.

RESO-

Resolutio I. Non omnia peccata mortalia ſubjecta fuerunt poenitentiæ canonicæ & *publicæ:* ſi ſumatur pro ſolemni 4. ſtationum decurſu. 280

Prob. I. Veteres tria tantum peccatorum genera commemorant, quibus per canones publica erat ſtatuta pœnitentia. Nimirum *idololatria*, *homicidium*, & *adulterium:* dixi *genera;* nam huc pertinebant quoque peccatorum ſpecies ſub generibus comprehenſæ. Ita Tertullianus lib. de pudicitia cap. 5. & 12. non niſi tria illa commemorat. at cap. 19. alia ingerit peccata, pœnitentiæ publicæ non ſubjecta: ergo non omnia &c. II. Concilium Illiberitanum, erga peccatores ſeveriſſimum, his tribus tantum ſuos aptavit Canones. III. Concilium Neocæsareense a pœnitentia publica eximit peccata concupiſcentiæ internæ, quæ tamen mortalia utique ſunt. IV. Concilium Laodicænum can. VII. hæreticos in Eccleſiam admittit cum ſola fidei profeſſione, & unctione: atqui hæreſeos crimen graviſſimum eſt. V. Concilium Nicænum Can. VIII. Novatianos ad Eccleſiam reverſos cum manus impoſitione in clero eſſe permittit. VI. S. Basilius in Epiſt. ad Amphilochium expreſſe de pœnitentia publica pro non nullis peccatis agenda differens ab ea excipit uſuram; nam Can. XIV. uſurarios poſt reſtitutionem factam ad ſacerdotium admitti vult: atqui poſt peractam publicam pœnitentiam nemo ad ſacerdotium admitte-

batur. Idem Can. XXX. furtum non violentum a publica poenitentia eximit. VII. Epist. ad letojum Canonica tria commemorat peccata Canonica poenitentiæ publicæ subjicienda: ab iis excipit avaritiam, & furtum occultum, cui tamen privatam imponi vult satisfactionem. VIII. CHRYSOSTOMUS Homil. XVII. in Matth. præter peccata Canonica aliis etiam minatur poenitentiam publicam, *si* in iis obstinate perseverarent. Ergo non perseverantibus non erat dictanda publica poenitentia. Ita alii quoque Patres.

281 *Prob.* Ratione I. Si omnia prorsus peccata mortalia *solemni* poenitentia fuissent castigata, paucissimi Christianorum potuissent in Ecclesia consistere, sicque fuisset in navi ingens solitudo; plurimi enim in gravia peccata sæculo IV. & sequentibus labebantur, quod colligitur ex Chrysostomo, qui in frequentissima civitate antiochia affirmat, e tot Christianorum millibus vix centum salvandos. II. Cum poenitentia publica & solennis semel tantum in vita agi potuerit, sequitur, ut qui post eam expletam in peccatum aliquod iterum fuerat prolapsus, nullam habuerit indulgentiæ & communionis spem; quod plane nimium videtur.

282 OBJIC. contra Resol. I. TERTULLIANUS lib. de Poenit. cap. 4. ait: „ *omnibus* ergo de-„ lictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu „ voluntate commissis, qui poenam per judi-„ cium æstimavit; idem & veniam per poeniten-

„ nitentiam ſpopondit: „ atqui toto illo libro agit de pœnitentia publica: ergo *omnia* delicta, & non ſolum canonica publicæ pœnitentiæ erant ſubjecta.

II. S. Cyprianus Epiſt. 9. ſcribit, „ cum „ in *minoribus* peccatis agant peccatores pœ-„ nitentiam juſto tempore, & ſecundum di-„ ſciplinæ ordinem ad exhomologeſin ve-„ niant, & per manus impoſitionem Epiſco-„ pi & Cleri jus communicationis accipiant „ &c. „ Ergo non ſolum canonica, ſed *omnia* peccata &c.

III. S. Augustinus Lib. I. de Symbolo ad Catechumenos cap. 7. triplicem agnoſcit pœnitentiam. 1. Baptismum catechumenorum pro peccatis prius commiſſis. 2. Orationem dominicam pro peccatis venialibus & quotidianis. 3. *Humilitatem majoris pœnitentiæ* pro omnibus peccatis gravibus, poſt Baptismum commiſſis, de qua ait: „ Sed noli-„ te illa committere, pro quibus neceſſe eſt, „ ut a Chriſti corpore ſeparemini. - - - Illi „ enim, quos videtis agere pœnitentiam, „ ſcelera commiſerunt - - - nam ſi levia pec-„ cata ipſorum eſſent, ad hæc quotidiana o-„ ratio delenda ſufficeret. Ergo tribus mo-„ dis in Eccleſia peccata dimittuntur, in ba-„ ptismate, in oratione, in humilitate majo-„ ris pœnitentiæ. „ Itaque omnia peccata gravia &c.

IV. S. Cæsarius Arelatenſis homilia I. & S. Eligius hom. 8. & 13. peccata diſtin-

 guunt

guunt in levia, seu venialia, & in gravia, seu capitalia: & hæc absque ullo discrimine inter canonica & ordinaria subjiciunt pœnitentiæ publicæ. Ergo &c.

RESP. ad I. Loquitur Tertullianus de pœnitentia in genere, ut virtus est vel Sacramentum, seu remedium in remissionem peccatorum omnium etiam internorum institutum, non autem de pœnitentia, *qua publica* est, & signis externis ab Ecclesia institutis peragitur.

RESP. ad II. Dist. in *minoribus* peccatis, canonicis tamen, v. g. fornicatione, homicidio, quæ absolute gravia sunt, & solum *respectu idololatriæ minora* dicuntur, *conc.* in omnibus omnino peccatis non canonicis, *nego*.

RESP. ad III. Per humilitatem majoris pœnitentiæ intelligit S. Augustinus quartum gradum consistentiæ & abstinentium a S. communione, quæ tamen solitarie & absque decursu præcedentium stationum non erat proprie publica & solennis pœnitentia, ut statim ostendam n. seq.

RESP. ad IV. Peccata *absolute* gravia ab illis dicuntur *levia* comparate ad peccata *canonica*, & quædam alia magis atrocia.

283 RESOLUTIO II. Omnia peccata gravia olim fuerunt punita per denegationem Evcharistiæ ad tempus, seu quartum gradum *consistentiæ;* quæ tamen sola, absque transitu priorum graduum, non erat pœnitentia *publica*

lica ſimpliciter & ſtricte, ſeu *ſolennis* cenſenda.

Prob. I. pars. Ex S. CYPRIANO, qui illud orationis dominicæ: *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, de Evchariſtia exponens ait: „ Hunc panem dari nobis quoti-„ die poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, „ & Evchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis „ accipimus, *intercedente aliquo graviore deli-„ cto dum abſtenti & non communicantes a cœ-„ leſti pane prohibemur*, a Chriſti corpore ſe-„ paramur. „ Ergo cuilibet gravi delicto in pœnam ſtatuta erat privatio Evchariſtiæ.

Prob. II. Adulteræ mulieres, quæ ob metum publicationis & ſecuturæ pœnæ capitalis ſolenni pœnitentiæ publicæ non ſubjiciebantur, ab Evchariſtia tamen arcebantur, ut conſtat e S. BASILIO M. Epiſt. ad Amphiloch. Can. XXXIV. „ Adulterio pollutas „ mulieres publicare quidem Patres noſtri no-„ luerunt: eas autem ſtare ſine communione „ juſſerunt, donec impleretur tempus pœni-„ tentiæ. „ 284

Prob. III. S. AUGUSTINUS lib. I. de ſymbol. ad catechumenos cap. 7. & 8. tres conſtituit claſſes peccatorum, 1. eorum, quæ committuntur ante Baptismum, quæ purgantur Baptismo. 2. Eorum poſt Baptismum, ſine quibus eſſe non poſſumus, nempe venialium, quæ abluuntur oratione dominica. 3. Gravium, de quorum pœna ait: *nolite illa committere, pro quibus neceſſe eſt, ut a corpore* 285

Chri-

Christi separemini. Ergo omnibus gravibus peccatis erat statuta pœna consistentiæ. Idem serm. CCCLI. olim. homil. L. inter 50. loquens de pœnitentia pro omnibus peccatis, quæ contra decalogum committuntur, ait: „ ut qui separari a regno cœlorum timet, „ per ultimam sententiam judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis interim separetur. „ Item serm. CCCXCIII. de omni, „ qui Sacramentum „ Baptismi violavit, perdite vivendo, *& ideo* „ *remotus est ab altari*, ne judicium sibi manducet, & bibat, mutet vitam &c. „ Concilium TURONENSE III. anno 813. can. XXII. statuit: „ Episcopis & Presbyteris diligenti „ cautela pertractandum, qualiter hominibus „ sua delicta confitentibus tempus abstinendi (ab Evcharistia) præscribant, & juxta „ modum peccati pœnitentibus abstinentia „ indicatur. FULBERTUS Carnotensis sæculo XI. serm. II. ad populum. Peccata, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, enumerat sequentia: homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinas, furta, falsa testimonia, superbiam, invidiam, avaritiam, diuturnam iracundiam, ebrietatem assiduam &c.

286 *Prob. II.* pars. Qui erant in gradu consistentiæ, non poterant discerni a reliquis fidelibus non pœnitentibus: ergo *consistentia sola* non erat reputanda simpliciter pro pœnitentia *publica*, aut *solenni*. *Anteced.* prob. sola

absti-

abſtinentia a communione non erat ſignum evidens pœnitentiæ; nam multi fideles ultro abſtinebant ex tepiditate; alii ex conſcientia gravis delicti, de quo nondum egerant pœnitentiam: alii ex reverentia judicantes ſe indignos. Probatur id etiam ex eo; quia nomine pœnitentiæ *publicæ*, ſimpliciter talis, nunquam intelligebatur *conſiſtentia*, ſed *ſubſtratio*, id eſt tertius pœnitentiæ ſolennis gradus, ut multis probat D. AMORT.

RESOLUTIO III. Peccata publica non 287
tantum canonica, id eſt Idololatria, homicidium, & adulterium, ſed etiam alia atrociora, ſive publica notorietate facti, ſive Epiſcopo denuntiata, & convincenter probata, ſubjiciebantur pœnitentiæ publicæ.

I. Pars de peccatis Canonicis eſt extra controverſiam: II. pars prob. I. Conſtitutiones Apoſt. lib. IV. cap 5. ab oblatione repellunt tabernarios, prædatores, direptores, qui viduas & pupillos opprimunt, qui innocentes incarcerant, qui famulos dure tractant, falſarios, advocatos, artifices idolorum, fures, ebrios, rerum dilapidatores, fœneratores &c. atqui ab oblatione repellere conſtituebat ſaltem quartum gradum pœnitentiæ, nempe conſiſtentiam &c. II. S. GREGORIUS Thavmaturgus in Epiſtola ſua canonica Can. V. direptores bonorum pœnitentiæ publicæ ſubjicit. III. S. PETRUS Alexandrinus inter canones ſuos pœnitentiales comprehendit non tantum idololatras, ſed eos etiam

etiam, qui fraude quæſtionem declinarunt. IV. Concilia ILLIBERITANUM, ANCYRANUM, LAODICÆNUM, pœnitentia publica plecti decernunt uſurarios, parentes, qui filias ſuas deſponſant cum Judæis vel hæreticis - qui tribus dominicis non intererant conventui Eccleſiaſtico, falſos accuſatores fratrum, aliosque. Ita paſſim legitur, blasphemias, ſacrilegia, perjuria, divinationes, *præſtigia*, ariolorum conſultationes, abortus, matrimonia illicita, bigamias, calumnias, libellos famoſos, inimicitias diuturnas &c. fuiſſe publice punita.

288 Quod autem olim exſtiterit obligatio, crimina aliorum Epiſcopo denuntiandi, ut ſic convicti etiam inviti pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur, in Eccleſiaſtica hiſtoria notiſſimum eſt. Audiatur AUGUSTINUS Homil. 49. inter 50. Cap. 4. & 5. alloquens uxores, quæ maritos adulteros Epiſcopo denunciare nolebant. „ Nolo talem patientiam habeant „ mulieres Chriſtianæ. Prorſus zelent viros „ ſuos, non propter carnem ſuam, ſed pro„ pter animas illorum. Omnino ergo moneo, „ ego præcipio, ego jubeo. Epiſcopus ju„ bet, Chriſtus in me jubet &c. nolite per„ mittere viros veſtros fornicari. Interpel„ late contra illos Eccleſiam, non dico judi„ ces publicos &c. „ item Homil. L. inter 50. hodie ſerm. CCCLI. „ Plerique autem „ boni Chriſtiani propterea tacent, & ſuffe„ runt aliorum peccata, quæ noverunt, quia docu-

„ documentis ſæpe deferuntur, & ea, quæ „ ipſi ſciunt, judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt - - - nos vero a communione quempiam prohibere non poſſumus, quamvis hæc prohibitio necdum ſit „ mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte „ confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari ſive „ Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque „ convictum. „ Plura teſtimonia legere eſt apud Cl. D. Amort.

Resolutio IV. Peccata canonica oc- 289
culta, ſponte a pœnitente in ſecreta confeſſione expoſita, aut Epiſcopo clam denuntiata, ordinarie non puniebantur pœnitentia *publica ſolenni*, ſed relinquebatur diſcretioni Confeſſarii, an ſecreta aut publica iis eſſet dictanda pœnitentia. Puniebantur tamen quarta ſtatione pœnitentium, ſeu conſiſtentia, quæ ſola non cenſebatur pœnitentia publica ſolennis ex n. 286. Hac diſtinctione oppoſitas celeberrimorum authorum ſententias ad concordiam reduci poſſe exiſtimo.

Prob. I. Concil. Neo-Cæsareense Can. IV. a pœnitentia publica excipit peccatum adulterii ſola cogitatione commiſſum. II. Concil. Vasense ſtatuit can. 28. non eſſe ab Epiſcopo decernendam pœnitentiam publicam crimini, quod probare non poteſt, quamvis ſit ipſi privatim cognitum. III. Origenes Homil. II. in Pſalmum XXXVII. loquens de confeſſione peccati occulti, monet, ſeligendum eſſe confeſſarium diſcretum, prudentem, ac

ac cum ejus denique Consilio publicam agendam poenitentiam. IV. BASILIUS Epist. ad Amphiloch. cap. 34. expresse ait, non esse adulteria clandestina mulierum publica poenitentia castiganda. (vid. n. 286.) V. S. AMBROSIUS lib. I. de poenit. cap. 16. „ Si „ quis igitur occulta crimina habens propter „ Christum tamen studiose poenitentiam ege- „ rit &c. „ Ergo in arbitrio poenitentis *fuisse* videtur, aut sponte propter Christum publicam poenitentiam agere, aut de consilio confessarii, vel de ejus praecepto, sed cum consensu tamen poenitentis. VI. S. AUGUSTINUS serm. XVI. de verb. dom. cap. 8. „ sunt homines adulteri in domibus suis, in „ secreto peccant. Aliquando nobis produn- „ tur ab uxoribus suis, plerumque zelanti- „ bus, aliquando maritorum salutem quaeren- „ tibus. Nos non prodimus palam, sed in „ secreto arguimus, ubi contingit malum, „ ibi moriatur vulnus. „ In secreto debe- „ mus corripere, in secreto arguere, ne vo- „ lentes publice arguere prodamus hominem. „ Nos volumus corripere & corrigere. Quid „ si inimicus quaerit audire, quid puniat? „ novit enim nescio quem homicidam Epi- „ scopus, & alius illum nemo novit. Ego „ volo illum publice corripere. At tu quae- „ ris inscribere. Prorsus nec prodo, nec „ negligo. Corripio in secreto: pono ante „ oculos Dei judicium: terreo cruentam con- „ scientiam, persuadeo poenitentiam &c. „

Deni-

Denique inſtar regulæ ſtatuit INNOCENTIUS I. Epiſt. ad Exuperium cap. 24. *Non habent latentia peccata vindictam*, intellige, publicam. Hæc ipſa diſcretio maxime locum habuit circa Clericos, Juvenes, conjugatos, ut facile oſtendi poſſet. A ſæculo autem VII. invaluit conſuetudo, ut non niſi de publicis publica, de occultis ſecreta ageretur pœnitentia.

OBJIC. I. Antiqui canones publicam de- 290
lictis pœnitentiam decernentes, non diſtinguunt inter publica & ſecreta: ergo & iſta comprehendebant.

II. INNOCENTIUS I. Epiſt. ad Victricium Rothomagenſem cap. 12. de Virginibus, *quæ Chriſto nupſerunt, & velari a Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel clanculo ſe corruperint, non eas admittendas eſſe* ſtatuit *ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit.* Ergo & occultum ſtuprum publice erat puniendum.

III. S. AUGUSTINUS ſerm. 392. ſcribit:
„ Qui poſt uxores veſtras vos illicito concu-
„ bitu maculaſtis - - - agite pœnitentiam,
„ qualis agitur in Eccleſia, ut pro vobis oret
„ Eccleſia. Nemo ſibi dicat: occulte ago,
„ apud Deum ago - - - fruſtramus Evange-
„ lium Dei. „ Pœnitentia, quam pro occulto adulterio agendam eſſe docet Auguſtinus, publica erat, *qualis agitur in Eccleſia*, & pro quo orabat Eccleſia. *Ergo* &c.

IV. Multi canones pœnitentiam publicam decernunt delictis, ex ſua natura occultis: ut procurare abortum, crimen Sodomiæ, beſtialitatis &c. *Ergo* &c.

Resp. ad I. nego *anteced.* contrarium enim patet vel ex uno Innocentio I. paullo ante adducto.

Resp. ad II. diſt. *conſeq.* ergo & ſtuprum, occulte quidem commiſſum, deinceps autem publicatum, publice erat puniendum, *conc.* ſtuprum ſacrilegum, quod ſemper manſit occultum, *nego.*

Resp. ad III. S. Auguſtinus aut loquitur de adulterio deinceps manifeſtato, aut agit contra illos, qui peccatum occultum clavibus Eccleſiæ per ſacramentalem confeſſionem ſubjicere detrectabant, ſoli Deo confiteri contenti. Ait enim ibidem: *Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis* &c. *Ergo ſine cauſa ſunt datæ claves Eccleſiæ? fruſtramus Evangelium &c.* Loquitur ergo de confeſſione, & pœnitentia in genere, qualis in Eccleſia agitur, præſcindendo, an publica eſſet, vel ſecreta. pro peccatis autem orare dicitur Sacerdos & Eccleſia, quoniam abſolutionis forma tunc erat deprecatoria, ut ſuo loco oſtendam.

Resp. ad IV. Poterant illa crimina vel ab effectu, vel per complicem, aut quacunque occaſione fieri manifeſta, atque ita pœnitentiæ canonicæ & publicæ ſubjici; quemadmodum & hodie non adeo infrequens eſt, ejus-

ejusmodi delicta fortuito casu propalari, & in saeculari Judicio capitali poena plecti.

Resolutio V. Tribus prioribus saeculis 291
Clerici majores, puta Episcopi, Presbyteri, Diaconi, poenitentiae publicae ob crimina canonica non raro fuerunt subjecti: an autem illa solennis fuerit, per quatuor stationum decursum? merito dubitatur.

Prob. I. pars 1. narrat Eusebius lib. V. Cap. ult. Natalium ab haereticis Episcopum creatum, at postea resipiscentem, cum non solum cleri, sed etiam laicorum pedibus fuisset provolutus, ac vibices quoque plagarum ostendisset, quas pro Christi confessione sustinuisset, vix tandem ad communionem fuisse admissum. Unde sic infertur: si moris non fuisset Episcopos quoque illo aevo publicae subjicere poenitentiae legibus, cur tam aegre iste Christi Confessor fuit ad communionem admissus?

Prob. II. apud eundem Eusebium lib. 292
VI. Cap. 43. legitur, de quodam Episcopo, qui Novatianum schismaticum Pontificem adversus Cornelium ordinaverat, eum peccatum suum flebiliter & aperte coram Ecclesia Confessum, ad laicam tandem communionem fuisse admissum; eoquod populus universus pro eo rogaret. Consequenter & hic poenitentiam publicam egit, ac non nisi per indulgentiam citra longiorem moram ad laicorum communionem fuit amissus.

Prob. III. Cyprianus Epist. LII. ad An- 293
tonianum scribit de Trophimo Episcopo in

persecutione lapso, eum poenitentem ad laicam fuisse communionem admissum, ideo tantum; quia alias neque plebs, quae cum eo fuerat, ad Ecclesiam reverti voluisset. Ergo ordinarie loquendo debuisset poenitentiae publicae subjici: nisi forte ipsa degradatio speciem poenitentiae publicae, non tamen solennis, habuisse dicendum sit.

294 *Prob. IV.* Idem CYPRIANUS Epist. *LIX.* objurgat Therapium Episcopum, quod victorem Presbyterum ante legitimum & plenum tempus satisfactionis Communioni restituerit: quod recessum a Decreti sui auctoritate appellat.

295 *Prob. V.* Idem Cyprianus Epist. LXVIII. Basilidis & Martialis Episcoporum libellaticorum audaciam reprehendit, quod Episcopatus suos repeterent, cum, ut ait, jam pridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius R. P. decreverit, ejusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri atque sacerdotali honore prohiberi. Atqui hic sermo est de poenitentia publica, ergo.

296 *Prob. VI.* Concilium ELIBERITANUM initio saeculi IV. celebratum can. 19. statuit: „ Episcopi, Presbyteri & Diaconi, si in „ ministerio positi, detecti fuerint, quod „ sint moechati, placuit & propter scanda- „ lum, & propter profanum (nefandum) „ crimen nec in fine eos communionem acci- „ pere

„ pere debere. „ & can. 76. „ Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta *legitima* pœnitentia poſt triennium accipere communionem. Quodſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere. „ Concilium Neocæsareense can. I. „ Presbyter ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, penitus *extrudatur* & ad pœnitentiam redigatur, „ Vix dubium eſt, quin per verbum: *extrudatur*, intelligenda ſit ejectio ex Eccleſia in claſſem pœnitentium; nam idem occurrit can. 2. „ Fœmina ſi duobus fratribus nupſerit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, ſi dixerit, quod ubi convaluerit, ſolvet matrimonium, habebit pœnitentiam. „

Prob. II. Pars. I. Primo & altero Ec- 297
cleſiæ ſæculo nondum erant introducti quatuor pœnitentium ſtationes; cum primus earum meminerit Gregorius Neocæſareenſis. II. Non eſt credibile, Clericos Majores, Epiſcopos præſertim, quos ut populorum Patres veneratur Eccleſia, inter flentes & audientes cum Ethnicis & Catechumenis, atque inter Subſtratos, quibus Presbyteri manus imponerent, fuiſſe rejectos, ſed miniſterio ſo-

lum ſuo privatos inter conſiſtentes cum laicis redactos fuiſſe probabilius videtur; nam Concilium CARTHAGINENSE V. ad finem ſaeculi IV. celebratum can. XI. „ *confirmatum* eſt, „ inquit, ut ſi quando Presbyteri vel Dia- „ coni in aliqua graviori culpa convicti fue- „ rint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit re- „ moveri, non eis manus tanquam Pœniten- „ tibus, vel tanquam fidelibus laicis *impona-* „ *tur.* „ & S. LEO M. Epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem: „ Alienum eſt a conſuetudi- „ ne Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali ho- „ nore aut in Diaconi gradu fuerint conſe- „ crati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus „ impoſitionem remedium accipiant pœniten- „ di, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditio- „ ne deſcendit. - - Unde hujusmodi lapſis „ privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſa- „ tisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuo- „ ſa. „ Quamvis autem hæc ſcripta ſint poſt ſæculum tertium, quo, ut ſtatim dicetur, Clerici Majores a publicæ pœnitentiæ legibus fuerant exemti, provocant tamen ad antiquam conſuetudinem. Ergo illi ne primis quidem temporibus manus impoſitioni fuerunt ſubditi, neque inter *Subſtratos* redacti: quæ tamen *ſubſtratorum* ſtatio *proprie* efficiebat pœnitentiam ſolennem.

298 OBJIC. I. S. PETRUS Alexandrinus can. X. Clericis lapſis communionem concedit. Ergo non ſubjecit publicæ pœnitentiæ.

II. Concilium ANCYRANUM can. I. & II. decernit, ut Presbyteri & Diaconi, qui ſacrifi-

crificaverint, honoris quidem nomen retineant, ordinis tamen ſui exercitio ſint deſtituti: ergo &c.

III. S. Optatus Milevitanus lib. II. contra donatiſtas pag. 44. eosdem redarguit, quod Epiſcopos pœnitentiæ publicæ legibus ſubdiderint. „ Multis notum eſt, inquit, & „ probatum, perſecutionis tempore Epiſco„ pos aliquos inertia a confeſſione Nominis „ Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus „ eorum qui evaſerunt, aut manum lapſis im„ poſuit, aut genua figerent, imperavit. Et „ facitis vos hodie poſt unitatem, *quod a nul-* „ *lo factum* eſt poſt thurificationem. „ Ergo &c.

IV. Idem Optatus lib. I. ad finem refert, Donatum propterea etiam a Melchiade R. P. damnatum fuiſſe, quod confeſſus ſit, ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt. Ergo &c.

Resp. Hæc omnia id unum evincunt, Clericos Majores, Epiſcopos præſertim, tunc non fuiſſe ſubjectos pœnitentiæ publicæ, & *ſolenni*, prout involvit crebram impoſitionem manuum, & gradum ſubſtratorum: id quod ipſe dico parte II. hujus Reſolutionis, qua ratione utraque oppoſita opinio conciliari poſſe videtur. Sed tamen

Resp. ad I. *diſt.* concedit communionem ex quadam œconomia ſeu diſpenſatione. *conc.* tanquam nullus eorum ordinaria conſuetudine

pœnitentiæ publicæ ſubjici debuiſſet, *nego.* Sed audiatur ipſe PETRUS Tom. I. Concil. Edit. Manſianæ. p. 1270. „ Quando autem „ lapſi ſunt, - - - non poſſunt amplius ſacra „ miniſteria obire. - - - Eis autem ſufficit „ communio: quam ita placuit ſtatui cum „ recto conſilio diligentique cautione, dua„ bus de cauſis; tum ne videantur moleſtia „ affici, qui forti animo aggreſſi ſunt *inde re*„ *verti*: tum ne aliqui e lapſis prætendant *ſe* „ ex occaſione pœnæ animos deſpondiſſe. „

RESP. ad II. Loquitur Concilium de Clericis, poſt lapſum fidem coram tyranno fortiter profeſſis, erga quos eadem cum S. PETRO diſpenſatione uti voluit: non autem de diſciplina ordinaria.

RESP. ad III. Aut loquitur Optatus de Epiſcopis nil tale promeritis: aut ſi de lapſis: tunc ſolum reprehendit, quod impoſitioni manuum inter ſubſtratos *ſolenniter* pœnitentes ſubditi fuerint. *Quod a nullo factum eſt.*

RESP. ad IV. Ut prius: aut loquitur forte de manuum impoſitione conſecratoria, & repetita ordinatione: quod temerarium factum merito reprehendit Optatus, & damnavit Eccleſia.

299 RESOLUTIO VI. a ſæculo IV. Clerici majores a publica pœnitentia exempti fuerunt.

Prob. Can. III. Epiſtolæ Canonicæ S. BASILII ad Amphilochium & can. XXXII. Concil. CARTHAG. V. anno 398. cap. 11. SIRI-

CIUS

cius Epist. I. ad Hymerium Tarracon. cap. 14. Leo Magnus Epist. II. ad Rusticum Narbon. & Concilia alia plurima statuunt, ut Clericus criminis Canonici reus a gradu quidem deponatur, communionem tamen cum fidelibus laicis obtineat, aut in Monasterium trudatur ad pœnitentiam privatim agendam. Ergo &c.

Resolutio VII. Clerici majores illis etiam sæculis ad pœnitentiam publicam sponte agendam fuerunt admissi. 300

Prob. Concil. Arausicanum I. can. IV. statuit, pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam. Ita quoque Concil. Arelatense II. Can. XXIX. Aurelianense I. Can. XII. Toletanum XIII. Can. X.

Resolutio VIII. Clerici minores usque ad sæculum VII. pœnitentiæ publicæ fuerunt obnoxii, deinceps autem ab ea exempti. 301

Prob. I. pars. Felix III. anno 483. Epist. VII. loquens de iis, qui se rebaptizari permiserint, ait: „ Pueris autem, seu Clericis seu laicis, aut etiam puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquamdiu sub manus impositione detentis reddenda communio est. „

Prob. II. pars. Concil. Toletanum IV. 302
Can. XXIX. decernit: „ Si Episcopus, aut Presbyter sive Diaconus NB. aut quilibet ex clero magos consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus

„ monasterii pœnam excipiat, ibique perpe-
„ tuæ (privatæ) pœnitentiæ deditus scelus
„ admissum sacrilegii luat. „

303 Resolutio IX. Hæretici sive extra Ecclesiam nati, aut ante usum rationis in ea educati, sive a catholicis apostatæ, ad pœnitentiam & exhomologesin publicam tribus prioribus Ecclesiæ adigebantur: Quarto sæculo hæc disciplina observabatur erga solos *apostatas*: cæteris extra Ecclesiam baptizatis citra publicam pœnitentiam admissis.

Prob. I. pars. Nam de Cerdone hoc scribit Irenæus lib. III. cap. 4. de Marcione & Valentino Tertullianus lib. de præscript. cap. 30. de Natalio Eusebius lib. V. cap. ult. Stephanus primus Summus Pontifex hoc tulit decretum referente Cypriano Epist. LXXIV. „ Si quis a quacunque hæresi vene-
„ rit, nihil innovetur, nisi quod traditum
„ est, ut manus illi imponatur in pœniten-
„ tiam. „

304 *Prob. II.* pars. Innocentius I. Epist. IV.
„ Nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæ-
„ reticis, qui tamen illic baptizati sunt, per
„ manus impositionem laicam tantum tribue-
„ re communionem; nec ex his aliquem in
„ clericatus honorem vel exiguum subrogare.
„ At vero hi, qui a catholica fide ad hære-
„ sin transierunt . . . non aliter nisi per pœ-
„ nitentiam suscipi . . . si quis de catholica
„ ad hæresin transiens redire voluerit . . .
„ commissum non nisi longa pœnitentia (de-

„ cen-

cennio juxta Concil. Illiberitan. Can. XXII.) „ poterit aboleri. „ Idem ſtatuit Concil. AGATHENSE Can. LX. TOLETANUM XVII. Can. XIII. AURELIANENSE IV. Can. 8. Quamvis non nunquam in particulari caſu ab hac regula receſſum fuerit.

Atqui ex his conſtat etiam tertia pars, quia 305
exceptio firmat regulam in contrarium.

RESOLUTIO X. Pœnitentia publica ſemel tantum agebatur in vita: qui poſtea deliquerat, ad privatam pœnitentiam, ſaltem in præcipuis Eccleſiis, admittebatur.

I. pars, quæ notiſſima eſt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ vel tantulum peritis. PROB. I. ex HERMA, qui lib. II. Paſtoris, mandato IV. ait: „ Servis Dei una pœnitentia eſt . . . & ideo „ dico, quod poſt vocationem illam magnam, „ & ſanctam (baptiſmum) ſi quis tentatus „ fuerit a Diabolo, & peccaverit, unam pœnitentiam (publicam) habet. &c. „

II. Eadem repetit ex HERMA CLEMENS Alexandrinus Stromat. II. n. 13. pag. 459. ex editione *Potteri*. „ Dedit ergo (Deus) cum „ ſit multæ miſericordiæ, iis etiam, qui in fi„ de in aliquod peccatum incidunt ſecundam „ (poſt baptiſmum) pœnitentiam, quam ſi quis „ tentatus fuerit poſt vocationem, coactus & „ callide circumventus, unam adhuc non pœ„ nitendam acceperit pœnitentiam. . . . Con„ tinuæ autem & ſe viciſſim excipientes pœ„ nitentiæ nihil differunt ab iis, qui omnino „ non crediderunt &c. „

III. TER-

III. Tertullianus de Pœnitentia cap. VII. „ Collocavit Deus in veſtibulo pœni-
„ tentiam ſecundam . . . ſed jam *ſemel*, quia
„ jam ſecundo; ſed amplius nunquam, quia
„ proxime fruſtra. „ Et cap. 9. „ Hujus igi-
„ tur Pœnitentiæ *ſecundæ* (ſeu primæ publicæ
„ poſt baptiſmum) & *Unius* quanto in arcto
„ negotium eſt, tanto operoſior probatio
„ eſt. „

IV. S. Ambrosius de pœnit. cap. 10. „ Me-
„ rito reprehenduntur, qui ſæpius agendam
„ pœnitentiam putant, quia luxuriantur in
„ Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam,
„ iterandam poſtea non putarent; quia ſicut
„ unum Baptiſma, ita una pœnitentia, NB.
„ *quæ tamen publice agitur*. „

V. S. Augustinus Epiſt ad Macedonium olim LIV. nunc CLIII. expreſſe aſſerit, locum *humillimæ pœnitentiæ* ſemel in Eccleſia concedi, ne medicina vilis, minus utilis eſſet ægrotis &c.

306 Quod omnes iſti Patres loquantur de pœnitentia publica, clare in primis conſtat ex Ambrosio, colligiturque ex eo; quia ſecus ſenſiſſent cum Novatianis, qui omnem etiam privatam pœnitentiam poſt Baptiſmum negabant ſaltem gravioribus criminibus. Quid? ſi dicerem, pœnitentiam publicam ſemel tantum pro eodem crimine, v. g. adulterii agi potuiſſe: at publicam iterum pro crimine alterius ſpeciei v. g. homicidii: quod tamen ſecundis curis relictum velim.

Pars altera magis controverſa probatur I. ex AMBROSIO, n. 305. qui de unica loquens pœnitentia expreſſe tamen limitat ad eam, *quæ publice agitur*. Ergo privata ſæpius agi poteſt. II. AUGUSTINUS loc. cit. per pœnitentiam *humillimam* pariter intelligit publicam *ſolennem:* ergo privatam non excludit. III. S. SIRICIUS Epiſt. 1. ad Hymerium Tarraconenſem Episcopum cap. 5. „ De quibus (relapſis poſt pœnitentiam publicam) quia jam „ ſuffragium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam „ fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, „ interſint, a Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione „ correpti & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & „ aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcænis cupiditatibus retrahantur. Quibus „ tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficiſci, per communionis gratiam „ volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerint, ſervandam „ eſſe cenſemus. „ Igitur in Eccleſia Romana admittebantur ad privatam pœnitentiam ſacramentalem, & ad S. Communionem, ſaltem in articulo mortis. 307

Prob. IV. Ex Concil. TOLETANO III. anno 589. Can. XI. „ Quoniam comperimus, „ per quasdam Hiſpaniarum Eccleſias non „ ſecundum Canonem, ſed foediſſime pro ſuis 308

„ pec-

„ peccatis homines agere pœnitentiam ; ut
„ quoties peccare libuerit, toties a Presbyte-
„ ro ſe reconciliari expoſtulent (absque con-
„ grua ſatisfactione) . . . ideo pro coercen-
„ da tam execrabili præſumptione id a ſan-
„ cto Concilio jubetur, ut ſecundum formam
„ Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ,
„ hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet fa-
„ cti, a Communione ſuſpenſum faciat inter
„ reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem
„ crebro recurrere; expleto autem ſatisfa-
„ ctionis tempore, ſicuti ſacerdotalis contem-
„ platio probaverit, communioni reſtituat.
„ Hi vero, qui ad priora vitia relabuntur, ſe-
„ cundum priorum Canonum ſeveritatem da-
„ mnentur „ (nempe ad eandem ſatisfactio-
nem, ſaltem privatam.)

309 A Sæculo autem VIII. ad ſecundam & tertiam pœnitentiam publicam non tantum admiſſos, ſed etiam adactos fuiſſe peccatores, patet ex lib. V. Capitularium cap. 72. & Hincmaro, qui in ſuis capitulis anno 874. cap. 10. de relapſis poſt pœnitentiam publicam presbyteros ſuos alloquitur : „ Solicite providete,
„ ut ſi aliqui poſt reconciliationem publicam
„ in publicum peccatum ceciderint, ad noti-
„ tiam meam perferatis, ut ſciatis, qualiter . . .
„ agere debeatis. „

§. VI.

§. IV.

De Indulgentiis.

Indulgentia, quæ a Patribus paſſim appellatur *relaxatio, Remiſſio, donatio, cæleſtis Eccleſiæ theſaurus, communio*, &c. eſt remiſſio pœnæ poſt abſolutionem ſacramentalem reſiduæ: intelligo tamen pœnam *vindicativam*, olim per canones taxatam, non autem ſatisfactoriam, ſeu *compenſatoriam*, a qua indulgentiæ pœnitentem non eximunt; cum ſit jure naturæ debita. Alia eſt *plenaria*, & alia *partialis*: prior de ſe eſt remiſſiva *totius* pœnæ reſiduæ in ſubjecto rite diſpoſito. Partialis contra in pœnitente etiam rite diſpoſito de ſe tantum *partem* pœnæ remittit. Partiales ſunt 10. vel 40. dierum, ſeu remiſſio pœnitentiæ totidem dierum olim per canones certis delictis injunctæ. Dantur hinc indulgentiæ centum & mille annorum, dum nempe peccator plurium peccatorum reus eſt, quorum cuilibet aliquot annorum pœnitentia fuiſſet infligenda, quæ ſimul centum aut mille annos conſtitueret. Hinc etiam indulgentiæ quædam dicuntur *carrenæ*, vel *quadragenæ*, ſuntque remiſſio unius vel plurium quadrageſimarum, ſeu jejunii quadraginta dierum per canones certis criminibus ſtatuti. Aliæ ſunt *locales, reales* alligatæ certis rebus v. g. roſario, numiſmati, ſcapulari &c. *perſonales, perpetuæ, quotidianæ, temporales, extraordinariæ*, aut *Jubilæi*, aut *cruciatæ*: *plenior*, cui annexa eſt poteſtas

310

teſtas abſolvendi a caſibus reſervatis, cenſuris, diſpenſandi, vel commutandi vota. *Pleniſſima,* cui dicta poteſtas absque ulla clauſula, & ſine exceptionibus limitantibus annexa eſt.

311 Poteſtatem Eccleſiæ in concedendis indulgentiis primus impugnaſſe videtur TERTULLIANUS cum ſuis Montaniſtis; nam lib. de Pudicitia ita alloquitur Zephirinum Summum Pontificem: An tu & in martyres tuos „ effundis hanc poteſtatem . . . ſufficiat martyri propria delicta purgaſſe . . . quis alienam „ mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei filius? „ Eandem Eccleſiæ poteſtatem denegarunt ſæculo XII. WALDENSES, ac poſtea WICLEFUS & HUSSUS. LUTHERO anſam ſchiſmatis indulgentias præbuiſſe, in vulgus notum eſt. TRIDENTINUM Concil. ſeſſ. XXV. duo definit; 1. Poteſtatem conferendi indulgentias a Chriſto conceſſam fuiſſe Eccleſiæ, qua antiquiſſimis etiam temporibus uſa fuerit: 2. Easque fidelibus utilis eſſe. Hoc ipſum dogma hic paucis contra heterodoxos probandum eſt. Contra laxiores autem Theologos oſtendendum, indulgentias etiam *plenarias* non eximere pœnitentem ab onere ſatisfactionis compenſatoriæ, nec fructum plenarium ab eo conſequendum eſſe, qui propoſito congrue Deo ſatisfaciendi pro injuria caret: aut ſi ex parte concedentis deſit legitima cauſa, ex parte operis proportio, ex parte ſubjecti diſpoſitio, ſeu intenſio charitatis: Item indulgentias prodeſſe etiam defunctis, non tamen *infallibiliter* liberare animam e purgatorio, ſed valere duntaxat

taxat per modum ſolennis deprecationis Eccleſiæ, quam utrum in totum vel in partem acceptare velit, e libero Dei arbitrio pendet.

Resolutio I. Eccleſia a Chriſto ac- 312
cepit poteſtatem concedendi indulgentias. *Eſt de fide.*

Prob. I. Ex ſacra Scriptura Matth.XVIII. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo:* Quæ verba innuunt poteſtatem ligandi pœnitentes ad certam ſatisfactionis vindicatoriæ menſuram: ut probatum eſt hoc capite §. I. & II. ergo verba ſequentia: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo,* inſinuant poteſtatem Eccleſiæ conceſſam, peccatores pœnitentes ſub certis conditionibus ab onere ſatisfactionis vindicatoriæ abſolvendi vel ex toto, vel ex parte, atqui iſta ſolutio eſt ipſa indulgentia, ut ex definitione conſtat. Ergo.

Prob. II. Illa poteſtas eſt a Chriſto, qua 313
Eccleſia quovis ſæculo, dum fatentibus quoque Adverſariis ab omni erroris in doctrina labe adhuc immunis erat, uſa fuit; atqui poteſtate largiendi indulgentias Eccleſia quovis ſæculo uſa fuit: ergo ea eſt a Chriſto conceſſa. *maj.* conſtat; quia Eccleſia hoc ipſo erraſſet, ſi quidpiam ſibi arrogaſſet juri divino contrarium, & a Chriſto non conceſſum; cum enim peccator reſiduam, poſt culpam dimiſſam, temporalem pœnam jure divino perſolvere te-

neatur, divino juri contrarium fecisset Ecclesia, eam per indulgentias eidem relaxando. Itaque *min.* prob. PAULUS postquam incestuosum Corinthium Satanae tradiderat, id est laboribus poenitentiae subdiderat, eum denique ab iisdem exemit, seu reatum poenae post culpam residuae condonavit intuitu contritionis illius, *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Atqui haec relaxatio poenae erat vera indulgentia, Christi auctoritate a Paulo concessa; ait enim II. Corinth. II. 10. *Cui autem aliquid donastis,* (de vestris meritis Deo pro illo oblatis) *& ego; nam & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Id est, indulgeo authoritate Christi, ex thesauro meritorum ejus & sanctorum, de quo dicam proxime.

314 *Prob. III.* Saeculo III. mos in Ecclesia obtinuit, ut ob intercessionem, sive ut vocabant, *libellos* confessorum, seu qui coram persecutoribus fidem fuerant constanter inter tormenta professi, Episcopi partem poenitentiae publicae lapsis remitterent, ut ex pluribus S. CYPRIANI Epistolis constat: atqui haec indulgentia non erat tantum remissio poenitentiae canonicae in ordine ad satisfactionem Ecclesiasticam, sed etiam coram Deo valitura, ut infra ostendam. Ergo.

315 *Prob. IV.* Concilia Episcopo potestatem faciunt, ut considerata poenitentium majore dispositione & contritione partem poenitentiae residuae remittere posset, uti habetur in Con-

cilio ANCYRANO anno 314. Can. II. V. XV. XXII. NICÆNO I. Can. XII. TRULLANO Can. XII. CARTHAG. IV. Can. LXXV. TRIBURIENSI can. LI. Epiſtola canonica S. BASILII can. II. VII. LIV. LXXXIV. GREGORIO Nyſſeno Epiſt. ad Letoium, can. IV. de homicidis. INNOCENTIUS Epiſt. I. cap. VII. LEONE Magno Epiſt. LXXIX. cap. V.

Prob. V. a Sæculo IX. viguit in Eccle- 316
ſia conſuetudo, ut pœnitentiæ canonicæ eleemoſynis, precibus, piis operibus, peregrinationibus, flagellationibus quoque redimerentur. A ſæculo autem XI. pœnitentiæ relaxabantur iis, qui expeditionem ſacram, ſeu bellum ſacrum contra Saracenos in ſe ſuſciperent. A ſæc. XIV. introducta fuerunt Jubilæa, quorum primum celebravit BONIFACIUS VIII. anno 1300. ac quolibet anno centeſimo celebrari voluit, quod deinceps ad annum quinquageſimum, ac demum vigeſimum quintum ampliatum fuit. De indulgentiis partialibus, ab Epiſcopo in dedicatione Eccleſiæ, ſeu aliam ob urgentem cauſam concedendis jam ſtatuit Concil. LATERAN. IV. anno 1215. vid. tit. de pœnitent. & remiſſ. in decretalibus.

OBJIC. contra I. Reſolutionem. Poteſta- 317
tem concedendi indulgentias catholici probant ex traditione, qua conſtat, Eccleſiam intuitu martyrum partem pœnitentiæ condonaſſe lapſis: atqui ex hoc indulgentia non probatur; nam pœnæ illæ lapſis imponebantur ab Eccleſia ſolum ad ædificationem fidelium,

qui ſcandalo prius læſi erant: contra indulgentiæ deberent coram Deo valere. Ergo.

II. S. Cyprianus, quem vocare tamen catholici ſolent Doctorem indulgentiarum, ſæpius contra indulgentias declamavit, maxime libro de lapſis: *Ergo.*

Respond. ad I. nego *min.* & ejus *probationem*; cujus falſitas conſtat ex dictis cap. *V.* §. I. Nam etiam pro peccatis occultis, quæ nullum ingerebant ſcandalum, ſemper impoſita fuit ſatisfactio, vel publica, vel ſecreta: quæ utique non poterat cedere in ædificationem Eccleſiæ.

318 Respond. ad II. Diſting. Cyprianus declamat contra indulgentias, indiſcrete conceſſas iis, qui nullum adhibebant conatum vel propoſitum perſonaliter ſatisfaciendi: damnat igitur abuſum, *conced.* legitimum uſum, *neg.*

Resolutio II. Indulgentia eſt vera abſolutio ſeu remiſſio, & quidem non tantum pœnæ a confeſſario injunctæ, ſed ejus quoque, quam vi canonum pœnitentialium injungere debuiſſet: eſt inſuper vera ſolutio facta Deo, ſeu quæ debitum expungit.

Prob. I. pars. Conceſſio indulgentiæ eſt actus jurisdictionis, & exercitium poteſtatis clavium, nec poteſt exerceri niſi in ſubditos. Ergo eſt abſolutio. II. Vox ipſa *indulgentiæ* id denotat, quæ ſonat remiſſionem, relaxationem,

nem, ficut & verbum donandi, quo utitur Paulus.

Prob. II. pars. Olim Ecclefia non nifi poenitentibus, feu quibus jam erat manus in poenitentiam impofita, indulgentiam concedebat, id eft, ab onere fatisfactionis, faltem ex parte, eximebat intuitu libelli martyrum, aut alia ex ratione, prout ex CYPRIANO conftat, & Concilio Ancyrano. Patet hoc etiam ex tenore Brevium indulgentiarum, quæ fæpe terminis iftis v. g. 40. *dies de injunctis pœnitentiis relaxamus*, utuntur. 319

Prob. III. pars, quod indulgentia aliquando etiam remittat pœnas injungendas; nam remittit pœnam poft culpæ remiffionem refiduam: atqui hoc faltem tempore, quo leviores pœnitentiæ injungi folent, non eft tantum refidua pœna injuncta, utpote quæ raro habet proportionem cum peccatis commiffis, fed reftat etiam pœnitentia, quæ vi Canonum injungenda fuiffet, & cujus nunc etiam peccator debitor eft; cum peccatum modo non fit minoris malitiæ, quam olim fuit. Probatur etiam ex eo; quia fi indulgentia tantum remitteret pœnas injunctas, raro foret indulgentiæ ufus; cum leviores jam imponantur fatisfactiones, quas facile perfolvunt pœnitentes, & non nifi negligentiffimi omittunt. 320

Prob. IV. pars. Quod fit vera *folutio;* quamvis enim ille, cui indulgentia conceditur, non folvat, folvit tamen concedens, dum authoritate & nomine Chrifti ex thefauro meri- 321

torum ejusdem ſuperabundantium, & ſanctorum quoque, ſatisfactionem pro pœnitente Deo exhibet, quam Deus acceptat.

322 Objic. contra II. Reſolutionem. Non poteſt abſolvere, niſi qui habet notitiam pœnitentis: atqui paſſim Epiſcopi concedunt indulgentias, quamvis non audierint confeſſiones, ergo conceſſio indulgentiæ non *eſt* abſolutio.

II. Hodiernæ indulgentiæ utuntur hac formula: *De injunctis pœnitentiis.* Ergo non remittuntur injungendæ.

Respond. ad I. Non poteſt abſolvere in particulari, niſi &c. *conced.* in communi, *neg.* Indulgentia eſt abſolutio in communi.

Respond. ad II. Pœnitentiæ, quæ vi canonum injungi deberent, cenſentur injunctæ. Accedit, quod in non nullis quoque recentioribus bullis legatur formula: de pœnitentiis, abſque conditione: *injunctis*, vel *injungendis*. Igitur utrumque ſubintelligitur.

323 Resolutio III. Indulgentia non remittit tantum pœnam Eccleſiaſticam, in hoc ſæculo perſolvendam, ſed & illam, quæ in altero ſæculo ſolvenda eſt ab iis, qui hic plene non ſatisfecerint.

Prob. I. Ex cit. Textu Matth. XVIII. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo:* Ergo etiam Deus acceptat remiſſionem conceſſam hic ab Epiſcopo, ſicut pro culpa, ita & pro pœna.

II. Pau-

II. Paulus dum condonat inceſtuoſo Corinthio, ait ſe hoc facere *in perſona Chriſti*, quo inſinuat illam remiſſionem ab ipſomet Deo acceptari.

III. Tertullianus Montaniſta lib. de pudicitia exprobat catholicis, quod martyrum libellis ſeu interceſſionibus, ac meritorum ſuorum applicationibus putent pœnitentium peccata, utique quoad reatum pœnæ, exſolvi.

IV. Juxta Cyprianum pœnitentes libellis martyrum *apud Dominum adjuvantur*. Ergo ad futurum ſæculum indulgentiam ſe extendere credidit.

V. Idem S. Epiſcopus vult, ut pœnitentibus, in infirmitate & articulo mortis conſtitutis, indulgentia ſubveniatur. Ergo omnino exiſtimavit, eam pro altero ſæculo apud Deum valituram; quid enim prodeſſet morituris indulgentia pœnæ Canonicæ hic peragendæ, a qua illos aliunde impotentia abſolvit?

Resolutio IV. Exiſtit in Eccleſia the- 324
ſaurus, conſtans ex meritis ſatisfactionis Chriſti ſuperabundantis, quam Patri pro nobis exhibuit, & inſuper ex meritis ſanctorum, quæ dum viverent compararunt.

Prob. I. pars. Chriſtus ſua ſacratiſſima Paſſione electis ſuis non ſolum promeruit gratiam ac gloriam, ſed pro iis etiam ſatisfecit, non tantum quoad reatum culpæ, & pœnæ

æternæ, ſed etiam temporalis, in quantum nimirum hæc ſatisfactio iis per varia media applicatur; *Dedit* enim *ſe redemptionem pro omnibus* I. Timoth. II. 6. id eſt, *omnibus quoad ſufficientiam*, pro *multis*, quoad actualem *applicationem*: & *ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Hebr. IX. 28. Hinc etiam Isaias de Chriſto patiente dicit: cap. LIII. 4. *Vere languores noſtros ipſe tulit*, & *dolores noſtros* (quibus pro pœna peccatorum fuiſſemus obnoxii) *ipſe portavit.* Jam autem ſatisfactio Chriſti, utpote ob dignitatem perſonæ infiniti valoris, non fuit tantum *ſufficiens*, ſed etiam *ſuperabundans*; cum peccata noſtra intrinſece ſint tantum finita: ergo ſemper ſupereſt, de iſtis meritis, quod nobis applicari, adeoque per modum ſolutionis ab iis exhiberi poteſt, quibus Poteſtas ſolvendi nomine Chriſti fuit conceſſa: atqui hanc habent Epiſcopi jure ordinario, ut dicetur. Ergo exſtat theſaurus ex meritis Chriſti abundans & inexhauribilis.

325 De hoc theſauro loquitur Clemens VI. in Bulla *unigenitus*, in hæc verba: „ Quemad-
„ modum theſaurum non in ſudario repoſi-
„ tum, non in agro abſconditum, ſed per bea-
„ tum Petrum cœli clavigerum, ejusque ſucceſ-
„ ſores, ſuos in terris vicarios; commiſit fide-
„ libus diſpenſandum, & propriis rationabili-
„ bus cauſis nunc pro totali, nunc pro partiali
„ remiſſione pœnæ temporalis pro peccato
„ debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter,
„ prout eum Deo expedire cognoſcerent, ve-

„ re

„ re pœnitentibus & confessis misericorditer
„ applicandum. „ Hæc Clemens. Referri
ad hunc thesaurum etiam potest fructus Missæ
sacrificiorum satisfactorius, qui a sacerdotibus
vel pro nullo in particulari, vel pro eo,
qui illius erat incapax, fuit applicatus, atque
sic thesauro Ecclesiæ aggregatur, ut communiter
sentiunt Theologi.

Prob. II. pars. Thesaurus Ecclesiæ con- 326
stat ex iis, quæ Deum possunt movere, ut fidelibus
justis infinitam Dei satisfactionem ad
peccatorum redemptionem applicet; atqui
sanctorum merita Deum ad hoc movent: ergo
thesaurus Ecclesiæ constat etiam ex meritis
sanctorum. *min.* prob. I. Credimus in symbolo
apostolorum *sanctorum Communionem*, seu
meritorum communicationem. II. Sanctorum
preces & merita Deum movent, ut iis,
pro quibus fuerint deprecati, gratiam conferat,
quod de justis viventibus nec Lutherani negant:
de regnantibus autem cum Christo nostri
dogmatici docent tract. de Incarnatione;
ergo etiam eorum passiones ac merita Deum
movent, ut eorum intuitu filii sui satisfactionem
justis applicet. III. Paulus ad Colossens.
cap. I. ait: *Qui nunc gaudeo in passionibus
pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum
Christi in carne mea, pro corpore ejus,
quod est Ecclesia.* Nihil deest quidem passioni
Christi *in se*, & quoad substantiam, utpote infinitæ:
deest tamen multis ejus *applicatio;*
hanc faciebat Paulus suis meritis, quibus Deum
movebat, ut corpori ejus, id est Ecclesiæ, cæ-

 tui

tui fidelium, Christi satisfactionem applicaret. IV. Idem Paulus II. Corinth. VIII. 14. monet divites hujus sæculi, ut eos, qui pauperes opibus, at divites meritis sunt, suis juvent Eleemosynis, quatenus vicissim horum meritis eorum inopia spiritualis sublevetur, seu merita applicentur: *In præsenti tempore*, inquit, *vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* De his sanctorum meritis ait citatus Clemens VI. „ Ad cujus quidem thesauri „ cumulum beatæ Dei genitricis, & omnium „ electorum a primo justo usque ad ultimum „ merita adminiculum præstare noscun„ tur. „

327 Objic. contra IV. Resolutionem. Merita Christi sufficiunt ad omnem omnium pœnam remittendam: ergo cedit in injuriam Christi, si iis jungantur merita sanctorum ad solvendam pœnam.

II. Sanguini martyrum non potest adscribi remissio peccatorum; nam ut ait Augustinus tract. LXXXIV. in Joan. „ Etsi fratres „ pro fratribus moriantur, tamen in fraterno„ norum peccatorum remissionem nullius san„ guis martyris funditur, quod fecit ille pro „ nobis. „

III. Si aliquid ad indulgentias conferrent sanctorum merita, tunc haberent locum *pretii:* atqui hoc non habent. Ergo. *min.* prob. si haberent locum *pretii*, sequeretur, quod nondum recepissent præmium condignum, respondens meritis:

meritis: atqui hoc falſum eſt; cum Deus remuneretur ultra condignum; *Non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam,* ut ait PAULUS. Rom. VIII. 18.

IV. Theſaurus iſte ſupponit merita ſanctorum ex operibus & ſatisfactionibus *ſupererogatoriis* cumulata, & in eum finem Deo oblata: atqui ſancti dum viverent nec habuerunt opera *ſupererogatoria*; agnoſcebant enim ſe tanquam ſervos inutiles, qui fecerint, quod debuerant. Nec ea obtulerunt pro aliis Deo; ſua enim humilitate perſuaſi erant, ſe ne pro ſuis quidem delictis plene ſatisfeciſſe, aut ſatis fuiſſe paſſos; hinc cum DAVIDE dicebant: *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit* nobis. Ergo.

RESPOND. ad I. Concedo *antec.* diſting. *conſeq.* ſi merita ſanctorum adhiberentur in ſupplementum deficientis ſatisfactionis Chriſti, & propria ac independens virtus, ſeu efficacia iis adſcriberetur: *conced.* ſi tantum uniantur meritis Chriſti, ex quo ſanctorum opera omnem habent rationem meriti & ſatisfactionis, *neg.* Quemadmodum enim noſtra ſatisfactoria opera omnem ſuam virtutem ex meritis Chriſti habent, ita etiam ſanctorum opera in theſauro Eccleſiæ repoſita, ac pro alio oblata, unice ſuam virtutem ex meritis Chriſti habent.

Nec dicant, ſuperfluam eſſe ſanctorum ſatisfactionem, quando Chriſti merita abunde ſufficiunt. Nam

CONTRA

Contra est: Hoc ipsum, quod Deus sanctorum opera pro nostra solutione acceptet, cedit in eorum honorem, quo Deus eos prosequitur, & ad continuandam Ecclesiæ triumphantis ac militantis, verbo sanctorum, communionem; cum enim opera vivorum pro vivis respiciat & acceptet Deus, quod nec Lutherani negant; multo utique convenientius jam secum regnantium merita pro *militantibus* acceptat & respicit.

Resp. Ad II. *disting.* Sanguini martyrum non potest adscribi remissio peccatorum, quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ & satisfactionem condignam, ex propria martyris virtute, *Conced.* hoc enim soli personæ divinæ infiniti pretii competit, quoad reatum pœnæ temporalis & ex virtute meritorum Christi, unde sanctorum merita suam habent originem & vim, *nego.*

Resp. Ad III. Negant aliqui *maj.* Existimant enim, sanctorum merita non habere rationem *pretii*, sed tantum *suffragii* seu intercessionis. Alii negant *min.* Ad probat. respondent, opera sanctorum in quantum considerantur ut *meritoria,* acceperunt a Deo condignam remunerationem: in quantum autem habent etiam rationem *satisfactionis*, possunt superabundare; nam plures sancti, qui vel nunquam, ut Beatissima virgo Maria, vel raro, & solum leviter, peccarunt, plus satisfactionis præstiterunt, quam pro pœna temporali, suis delictis debita, persolvere debuissent:

ſent: quam ſuperabundantem ſatisfactionem, cum pro perſona ſanctorum effectum non habuerit in ratione *ſatisfactionis*, Eccleſia applicat aliis, quibus plus ſatisfactionis deeſt. Igitur opera ſanctorum in quantum fuerant *meritoria*, habuerunt omnem effectum; pleniſſimam nempe remunerationem acceperunt: non vero in quantum eorum opera erant ſimul *ſatisfactoria*; ſic enim in pluribus ſanctis, quibus nullus, vel non tantus reatus pœnæ temporalis ſolvendus ſupererat, ſuum in Perſona eorum non habuerunt effectum. ita CAJETANUS.

RESP. Ad IV. Nego *min.* Non enim ſancti a ſcriptura dicuntur ſervi *inutiles*; imo dicuntur ſervi *boni*, *fideles*: ſed ipſi ex humilitate ſe tales agnoſcunt; quia ſciunt, ſe nihil ex propriis viribus poſſe præſtare, licet plura fecerint, quam vi præcepti rigoroſi præſtare fuerant obligati. Quamvis autem ſua opera Deo explicite pro aliis non obtulerint, habuere tamen hanc intentionem implicitam: & aliunde eorum opera ſupererogatoria quaſi ab inteſtato ceſſerunt in peculium Eccleſiæ, quæ poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa theſaurum hunc aliis applicat.

RESOLUTIO V. Ut indulgentia ſuum ha- 328
beat Effectum, requiritur 1. ex parte concedentis cauſa legitima: 2. ex parte operis injuncti proportio cum pœna, quæ remittitur: 3. ex parte ſubjecti debita diſpoſitio.

Prob. I. pars. Nec Summus Pontifex nec Epiſcopi ſunt Domini, ſed diſpenſatores

tan-

tantum thesauri Ecclesiæ; juxta illud Pauli I. Cor. IV.; *sic nos existimet homo ut ministros, & dispensatores mysteriorum Dei: hic jam quæritur, ut dispensator fidelis quis inveniatur.* Itaque non pro libitu dissipare possunt, sed ex rationabili causa erogare, prout loquitur etiam CLEMENS VI. n. 325. citatus. II. Pœna post culpam residua jure divino & naturali a peccatore est persolvenda; atqui sine *legitima* & rationabili causa in hoc jure dispensare non possunt Ministri Ecclesiæ, ut patet in votis & juramentis: secus non usus sed abusus foret clavium, & dissipatio non dispensatio. III. MARTINUS V. de hæresi suspectum inter alia interrogari jussit, utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis NB. *ex causa pia & justa* possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum. IV. S. CYPRIANUS lib. de lapsis irritam pronuntiat indulgentiam, nec peccatoribus profuturam, quando conceditur absque legitima causa. „ Contra Evangelii vigorem, „ contra Domini ac Dei legem, temeritate „ quorumdam laxatur incautis communica„ tio. Irrita & falsa pax, periculosa danti„ bus, & nihil accipientibus profutura. „

329 *Prob. II.* pars. In Ecclesia veteri requirebatur talis proportio: ergo etiam nunc, quia TRIDENT. Concil. exigit in concedendis indulgentiis moderationem *juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem* adhiberi, *anteced.* prob. I. PAULUS incestuoso Corinthio

non

non conceſſit indulgentiam, niſi poſtquam viderat vehementem ejus poenitentiam, & ſatisfactionem, *ne abundantiori triſtitia abſorbeatur.* II. S. CYPRIANUS voluit, ut martyres libellos non concederent, niſi qui magna jam ex parte Canonicam ſubierint poenitentiam: „ Ideo peto, ait, ut eos, quos ipſi videtis, „ quos noſtis, quorum poenitentiam ſatisfa„ ctioni proximam conſpicitis, deſignetis no„ minatim libello, & ſic ad nos fidei ac di„ ſciplinae congruentes litteras dirigatis. „ Idem fere requirit Concil. NICÆNUM I. Can. XII. aliaque, quae de indulgentiis ſeu remiſſione poenitentiae Canonicae agunt, ut pro proportione doloris ac ſatisfactionis jam inchoatae fervore attemperetur remiſſio.

Prob. III. pars. Per diſpoſitionem poeni- 330
tentis hic intelligitur major vel minor fervor Charitatis, pro cujus proportione magis vel minus de indulgentia etiam plenaria poenitens participabit; nam fictitia videtur quorumdam perſuaſio, indulgentiam plenariam conſiſtere in *indiviſibili*, & vel totum debite diſpoſito, vel nihil minus diſpoſito prodeſſe: cum potius juxta modum diſpoſitionis plus minusve ſperari poſſit. Nam ut ait BONIFACIUS VIII. de indulgentia Jubilaei, utique plenaria: „ unusquisque tamen plus merebitur, & in„ dulgentiam efficacius conſequetur, qui Ba„ ſilicas ipſas amplius & devotius frequenta„ bit. „ Caeterum requiri in lucraturo indulgentiam, ſtatum gratiae, neceſſe vix eſt adverte-

vertere; cum utique pœna temporalis remitti nequeat, culpa non dimiſſa.

331 Objic. contra V. Reſolutionem. S. Thomas in IV. D. XX. Q. I. A. III. Solut. 2. expreſſe docere videtur, quantitatem indulgentiarum unice deſumendam eſſe ab applicatione theſauri Eccleſiæ, non autem a legitima cauſa concedentis, aut proportione operum vel diſpoſitione lucrantis; ſic enim ait: „ *cauſa remiſſionis pœnæ in indulgentiis non eſt* „ niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ „ ſe habet ſufficienter ad totam pœnam ex- „ piandam: non autem cauſa remiſſionis ef- „ fectiva eſt vel devotio, aut labor, aut da- „ tum recipientis, aut cauſa, pro qua fit in- „ dulgentia. Unde non oportet ad aliquod „ horum proportionare quantitatem remiſſio- „ nis, ſed ad merita Eccleſiæ, quæ ſemper „ ſuperabundant: & ideo ſecundum quod „ applicantur ad iſtum, ſecundum hoc remiſ- „ ſionem conſequitur. „ *Ergo* &c.

II. Idem S. Doctor ait ibidem: „ Ad hoc „ autem, quod applicentur iſti, requiritur „ auctoritas diſpenſandi ejusmodi theſaurum, „ & unio ejus, cui diſpenſatur, ad eum, qui „ merebatur, quod eſt per charitatem: & „ ratio diſpenſationis, ſecundum quam ſal- „ vetur intentio illorum, qui opera meritoria „ fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, „ & utilitatem Eccleſiæ in generali. Unde „ & quæcunque cauſa adſit, quæ in utilita- „ tem Eccleſiæ vergat, & honorem Dei, ſuffi-

„ ſufficiens eſt ratio indulgentias elargien-
„ di. „ *Ergo* &c.

III. Idem S. D. inde infert, indulgentias tantum valere, quantum prædicantur, ſeu ſonant, quod etiam in adagium Canoniſtarum tranſiit.

IV. Idem S. Doctor loc. cit. Solutione II. ad 1. „ Si quis inordinate per indulgen-
„ tias pœnas remittat; ita, quod homines
„ quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ
„ revocentur, peccat faciens tales indulgen-
„ tias, nihilominus ſuſcipiens plenam indul-
„ gentiam conſequitur. „ Ergo non requiritur proportio operis, nec cauſa legitima in concedente.

Respond. ad I. S. Thomas ibi agit contra Altiſſiodorenſem, qui contendebat, opus præſcriptum omnimodam æquivalentiam cum eo opere, quod per indulgentiam remittitur, involvere debere; hinc infert D. Thomas, Indulgentiam iſto ſenſu non eſſe remiſſionem vel abſolutionem, ſed tantum permutationem. Vult ergo S. Th. non requiri operum in indulgentia præſcriptorum *omnimodam æquivalentiam*, ex ratione mox inſinuata: non autem negat *proportionem.* Dein videtur tantum evincere, opera præſcripta, aliaque in Reſolutione requiſita, non eſſe cauſam efficientem: non negat tamen, illa habere rationem conditionis.

Ad II. Per cauſam quamcunque, intelligit piam, & Convenientem; nam ait ipſemet

apud Juenin: nec tamen ſequitur, quod Praelatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas e purgatorio liberare; NB. quia ad hoc, ut indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens. Quia vero ibi lectorem remittat ad D. XX. ſequitur, quod per cauſam *piam* intelligat convenientem, ſeu legitimam. Quod ex eo etiam colligitur, quod cit. art. *III.* qq. II. dicat: „ Poteſtas faciendi indulgentias „ plene reſidet in Papa, quia poteſt facere, „ quod vult NB. cauſa tamen exiſtente le„ gitima. „

Ad III. *Diſt.* tantum valent, quantum ſonant, *per ſe* loquendo, ſuppoſitis cæteris conditionibus, *Conced. in effectu*, & conditionibus non ſuppoſitis, *neg.*

Ad IV. *diſting.* Plenam indulgentiam conſequitur, ſi ex parte lucrantis ſit proportio cauſæ & operis, quæ tamen pro tota communitate forte non exiſtit, *Conced.* ſecus *neg.* alii τὸ *inordinate* exponunt pro *nimis frequenter*, ubi tamen adſint omnia alia requiſita; quia ut ait Dominicus Soto, etiamſi cauſæ occurrant, indulgentiæ non debent eſſe frequentes, ne religio ſatisfaciendi pereat.

332 Resolutio VI. Indulgentia etiam plenaria non liberat pœnitentem ab obligatione congrue ſatisfaciendi Deo pro injuria: nec effectum plenarium indulgentiæ plenariæ conſequitur, qui hoc propoſito ſatisfaciendi caret.

Prob. I. pars. Indulgentiæ hodiernæ non ſunt alterius ſpeciei, quam erant veteres;

atqui illæ non eximebant peccatores ab onere congruæ ſatisfactionis: ergo. *prob.* in primis *maj.* Hodiernæ indulgentiæ conſiſtunt in tribus eſſentialibus 1. in remiſſione pœnæ temporalis poſt culpam dimiſſam reſiduæ, valida non tantum apud Eccleſiam, ſed etiam apud Deum. 2. In ſolutione deprecativa ex theſauro Eccleſiæ, ſeu oblatione meritorum Chriſti. 3. In authoritate concedentis, qui ordinarie eſt ſolus Epiſcopus: atqui hæc omnia concurrebant in indulgentiis antiquis, quod ex inſtituto probat Cl. D. AMORT. Quæſtione 1. de Indulgentiis utiliter legendus. prob. *min.* principalis in primis ex dictis n. 328. ſeq. dein ex eodem CYPRIANO, qui toto fere libro de lapſis in eos invehitur, qui vel indulgentias concedunt non pœnitentibus, id eſt, qui nondum ſatisfactionis onera in ſe ſuſceperant, & in eos, qui petebant reconciliari absque præmiſſa ſatisfactione; has autem requirit conditiones ad valorem fructus indulgentiarum: „ Pœnitenti, operanti, roganti „ poteſt Deus clementer ignoſcere, poteſt „ acceptum ferre, quidquid pro talibus & „ petierint martyres, & fecerint Sacerdo„ tes. „

Prob. II. Eccleſia nec poteſt, nec vult 333
per indulgentias tollere obligationem jure naturali & divino debitam, ſatisfaciendi Deo congrue pro injuria compenſatione ſatisfactoria; cum per indulgentiam tantum remittat, vel immutet ſatisfactionem *vindicatoriam:* er-

go semper manet haec obligatio. *anteced.* constat tum ex praxi veteris Ecclesiae, tum etiam hodiernae; cum indulgentiae plerumque concedantur sub hac formula, quae si non est expressa, implicite intelligitur imbibita: *vere poenitentibus.* Atqui vere poenitere dicit etiam satisfacere Deo pro injuria compensatoria ex n. 18. seq. ergo.

334 *Prob. II.* pars. Quam fuse demonstrat D. Amort, dignus, qui ex toto legatur, unde pauca mutuare licebit. I. Ecclesia primis saeculis nunquam concessit indulgentiam plenariam sine actuali praestatione, aut saltem proposito satisfactionis: ergo nec nunc aliter concedit; quia Trident. expresse dicit, indulgentias esse moderandas juxta veterem Ecclesiae consuetudinem, ne nimia facilitate disciplina Ecclesiastica enervetur. *anteced.* prob. indulgentiam incestuoso Corinthio non ante concessit Paulus, quam asperam egisset poenitentiam, ut scribit S. Anselmus in II. Corinth. 2. II. Tertullianus Montanista dum exprobrat Zephirino R. P. quod maechis indulgentiam concedat, eorum tamen describit satisfactionem lib. de Pudicit. cap. I. „ Pariter de poenitentiae officio sedent in sacco & „ cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, „ eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus „ exorant. „ III. S. Cyprianus indulgentiam non concessit, nisi jam multis poenitentiae laboribus perfunctis. „ Censuimus, ait, „ eis, qui poenitentiam agere, & lamentari, „ ac

„ ac Dominum deprecari a primo lapſus die
„ non deſtiterunt, pacem dandam eſſe. „ &
lib. de lapſis. „ Nemo ſe fallat: ſolus Do-
„ minus miſereri poteſt, veniam peccatis ſo-
„ lus poteſt elargiri; nec remittere, aut in-
„ dulgentia ſua donare ſervus poteſt, quod
„ in Dominum commiſſum eſt. Sola ſupereſt
„ pœnitentia, quæ ſatisfaciat. Si precem
„ toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ
„ lamentationibus, & lacrymis ingemiſcat,
„ ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis &
„ continuis operibus inflectat, miſereri ta-
„ lium Deus poteſt, poteſt illi indulgentiam
„ dare - - - poteſt in acceptum referre, quid-
„ quid pro talibus petierint martyres, & fe-
„ cerint ſacerdotes. „ Idem ſtatuerat epiſt.
XIII. ad Clerum ſuæ Eccleſiæ de lapſis, ut ſi quis infirmitate ſubita correptus reconciliari petierit, indulgentiam quidem conceſſerit, impoſita tamen pœnitentia, quam ſi convaluiſſet, integram perſolvere debuiſſet: textum citavi Cap. II. §. IV. Vid. ibidem Can. LXXVIII. Concil. CARTHAG. IV. Paria ſcribit Clerus Romanus ſede vacante ad Cyprianum Epiſt. XXXI. ſimiliter Concilia NEOCÆSAREENSE Can. III. ANCYRANUM pluribus Can. LAODICENSE Can. II. NICÆNUM I. pluribus Can. ac plura alia, ubi ſemper requiritur proportionata ſatisfactio, aut ſaltem ejus inchoatio & propoſitum.

Prob. II. Usque ad finem ſæculi XIV. 335
nulla fuit conceſſa indulgentia plenaria pro o-

 mni

mni hominum conditione, & ſexu ſervitura; quia vel requirebant profectionem Romanam, Jeroſolymitanam, Compoſtellanam, vel expeditionem ſacram pro recuperanda terra ſancta, quæ utique & ſumptus maximos, & difficultates innumeras, ac maximas, ipſumque vitæ periculum involvebant, ſicque proportionem ſatisfactioni attemperabant. Cenſuit ergo Eccleſia, ſibi non eſſe facultatem *indiſcriminatim* concedendi indulgentias plenarias absque proportione ſatisfactionis: ſecus fuiſſet quodammodo crudelis erga Juvenes, ſenes, fœminas, aut alio modo a Jubilæo vel expeditione ſacra impeditos, niſi indulgentiam plenariam ad eos etiam extendiſſet.

336 *Prob. III.* a ſæculo XI. usque ad annum 1391. indulgentiæ plenariæ conceſſæ fuerunt ſub conditione operum difficillimorum e. g. profectionis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & non niſi præſtita ſatisfactione, ut adductis exemplis probat Cl. D. Amort; ſemper etiam Concilia & Pontifices proteſtati ſunt, ſe per indulgentias nolle ſatisfactionis congruæ obligationem tollere. Concil. Lateranense anno 1216. cap. 62. ait: „ Quia per indiſ„ cretas & ſuperfluas indulgentias claves Ec„ cleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſa„ tisfactio enervatur, decernimus, ut indul„ gentia non extendatur ultra annum. „ Concil. Constantiense indulgentias tempore ſchiſmatis conceſſas in ſtatus Eccleſiaſtici ridiculum, quibus velut ex facilitate veniæ incentivum præbetur delinquendi, revocavit.

Roma-

Romani Pontifices in Bullis indulgentiarum hortantur ſemper pœnitentes, ut redimant peccata operibus pœnitentiæ, ut his placent iram numinis, ut iisdem promereantur divinam clementiam. Denique ſemper requirunt, ut ſint *vere pœnitentes & contriti;* atqui ad veram pœnitentiam de jure naturæ requiritur propoſitum congrue Deo ſatisfaciendi pro injuria. ex n. 18. ſeq. ergo &c.

Prob. IV. Rationibus theologicis. I. Si Chriſtus paſſionis ſuæ merita extra Sacramenta per indulgentias nunc paſſim obvias applicare vellet hominibus, ea tantum conditione, ut opera ordinarie leviſſima peragerent, ſequeretur, quod in praxi hodierna parum, aut nihil diſtaret Catholicorum doctrina ab errore Proteſtantium, qui merita Chriſti, ejusque ſatisfactionem ſibi imputari exiſtimant, ſi modo viva fide eadem apprehendant, & ſibi applicent. Nam & juxta laxiores theologos, qui per indulgentias omnem obligationem ſatisfaciendi ſublatam putant, ad applicationem meritorum Chriſti, plenamque omnis pœnæ remiſſionem ſufficit aut numiſma Pontificium, cui annexa eſt indulgentia, deferre, invocare ſanctiſſimum nomen Jeſu, aut alia comparative leviſſima opera perſolvere, absque ullo propoſito ſatisfactionis, imo etiam absque actu fidei, quem Lutherani tamen ad meritorum Chriſti imputationem requirunt, eamque vivam & operantem. 337

II. Si indulgentia plenaria absque propoſito & conatu congruæ ſatisfactionis omnem 338

pœnam temporalem delet, tunc nulla plane fuit ratio, ut Catholici tantopere decertarent cum Proteſtantibus de ſatisfactione, facilisque fuiſſet concordia, ſi dixiſſent cum modernis, ſatisfactionis neceſſitatem eſſe tantum ſpeculativam, in praxi vix ullam; cum leviſſimo opere v. g. geſtatione Numiſmatis Papalis, cui annexa eſt indulgentia plenaria, omnis obligatio ſatisfactionis *compenſetur.* Atqui abſurda ſunt iſta, evidenter tamen *ſequuntur* ex opinione illorum Probabiliſtarum. *Ergo.*

339 III. Luthero & ſequacibus merito exprobratur a noſtris, quod e medio tollendo opera pœnalia, & debitum ſatisfactionis, doctrinam invenerit blandam carni, mollem, contrariam Evangelio, & qua enervatur diſciplina Eccleſiæ Chriſtianæ: atqui hoc idem ſequitur ex principiis theologorum in materia de indulgentiis; quis enim hoc tempore, ubi refriguit charitas multorum, ſatisfactionis opera pœnalia in ſe ſuſcipere vellet, cui perſuaſum eſt, unica indulgentia plenaria, quæ maxime ob numerum piarum confraternitatum, aliorumque indultorum vix non quotidianæ ſunt, omne illud debitum poſſe expungi, ſeque ab omni onere liberari.

340 IV. Si Eccleſia exiſtimaſſet jam olim hanc ſibi competere poteſtatem, liberandi homines per indulgentiam plenariam ab omni onere ulterioris ſatisfactionis; tum crudelis fuiſſet prioribus ſæculis eandem non concedendo, vel

non

non nisi sub conditione operum difficillimorum, sicque permittendo, ut infinita hominum multitudo ad gravissimas purgatorii pœnas descenderet: at hoc dici nequit: ergo.

V. TRIDENTINUM Concil. sess. XIV. cap. 8. 341
ex ipsa natura rei & legibus divinæ justitiæ ac clementiæ derivat necessitatem satisfactionis congruæ pro peccatis post Baptismum commissis, atqui hæc ratio nihil probaret contra Protestantes, si ista obligatio speculativa in praxi tam facile deleretur per unicum *Pater noster*, aut pronuntiationem sanctissimi nominis Jesu. Imo ex hoc potius infertur, non esse Ecclesiæ potestatem, nec mentem, obligationem hanc naturali divinoque jure incumbentem ad satisfaciendum congrue, uno quasi halitu eliminandi.

VI. Relaxatio satisfactionis per indulgen- 342
tias extra Sacramentum, succedit relaxationi satisfactionis, quæ facta fuit per Sacerdotem in Sacramento; nam antiquæ bullæ indulgentiarum concedunt remissionem *de injunctis pœnitentiis*. Atqui relaxatio in Sacramento non potest tollere obligationem satisfactionis congruæ pro injuria, aut ejus saltem serium propositum. *Ergo*.

VII. Ex his etiam sequitur, majorem esse 343
virtutem & efficaciam indulgentiarum, quam ipsorum Sacramentorum: sicque etiam mererentur majorem æstimationem, ac frequentationem. Hoc est absurdum, *ergo* &c. *sequela* probatur. Indulgentiæ, saltem plena-

riæ, quarum hodie eſt tanta copia, hominem ab omni reatu pœnæ liberarent, quod Baptismo excepto nullum aliud præſtat Sacramentum, ſed præter augmentum gratiæ & charitatis & infuſum ſpecialem habitum, gratias tantum actuales conferunt, quibus homo ſe ad pugnam armare, & opera ſatisfactoria exercere queat.

344 VIII. Ne cui autem in mentem *veniat*, quaſi vel D. AMORT, vel alii theologi, qui cum ipſo ſentiunt, contra indulgentias declamare, earumque utilitatem exſibilare, aut fideles ab earum uſu abſtrahere velint: cogitet, ſanctiſſimum eſſe indulgentiarum uſum. Si debita cum intenſione fiat. Atvero indulgentiæ non operantur ex opere operato; cum non ſint Sacramenta: ergo ex opere operantis, nimirum ex deprecatione Eccleſiæ, quæ Chriſti merita & ſanctorum æterno Patri offert, rogatque, ut ea in ſolutionem pro tali *fideli* acceptare dignetur, ſi gratiæ hujus ſua diſpoſitione dignum ſe reddiderit, quatenus quod ejus ſatisfactioni deeſt, & poſſibilitas non obtinet, Chriſti meritis, & ſanctorum interceſſione donetur. Cum autem Deus ſalvare nos nolit ſine nobis, hinc homini otioſo, & nullum ſatisfactionis propriæ conatum adhibenti, imo nequidem proponenti, Deus non applicabit Chriſti ſanctorumque merita. Non enim indulgentiæ infallibilem habent effectum; cum ſancti pro altero de *condigno* ſatisfacere, aut mereri nequeant, ſed tantum

de

de *congruo:* non eſt autem congruum, ut pro eo preces ac merita aliorum exaudiat Deus, qui cum ſe ipſum operibus ſatisfactoriis juvare poſſet, & deberet, id tamen negligit. Neque tamen propterea dixerim, nullum eſſe indulgentiarum fructum; quanta enim fuerit hominis pœnitentis diſpoſitio, fervor charitatis, conatus & propoſitum ſatisfaciendi, in tantum pro proportione recipiet effectum indulgentiæ, vel totum, vel partem, majus vel minus. Rationes aliæ plurimæ, & authoritates tam Patrum, quam theologorum legi merentur apud D. Amort.

Objic. contra VI. Reſolutionem. Tem- 345
pore Cypriani ob martyrum libellos lapſis concedebatur indulgentia in exitu vitæ, etiamſi pœnitentia canonica non fuiſſent perfuncti, ut patet ex Epiſt. Cleri Romani apud Cyprianum Epiſt. XXXI. ergo non datur obligatio ſatisfaciendi.

II. Si requireretur congrua pro peccatis ſatisfactio, tunc pie illuderetur fidelibus, qui ſibi perſuadent, ſe per indulgentias ab operibus ſatisfactoriis eximi: & nihil tamen inde emolumenti perciperent. *Ergo.*

Respond. ad I. *Conced. anteced. neg. conſeq.* Quando enim lapſis in exitu conſtitutis interceſſione Martyrum indulgentia concedebatur, fiebat hoc intuitu ipſorum pœnitentiæ, & propoſiti, & cum conditione, ut, ſi ex infirmitate evaſiſſent, injunctam ſibi pœnitentiam ex integro perſolverent: quemad-

modum

modum & hodie contingit in Articulo mortis circa satisfactionem Sacramentalem. De hac dispositione loquitur Clerus Romanus: „ Eorum autem, quorum vitæ suæ finem urgens „ exitus non potest dilationem ferre, acta „ pœnitentia, & professa frequenter suorum „ detestatione factorum, si lacrymis, si gemi„ tibus, si fletibus dolentis ac vere *pœniten„ tis* animi signa prodiderint, *ita demum* „ caute & solicite subveniri. „ Et Cyprianus: „ Qui libellum a martyribus accepe„ runt, & auxilio eorum adjuvari apud Do„ minum in delictis suis possunt, si premi in„ firmitate aliqua & periculo cæperint, ex„ homologesi facta, & manu a vobis in pœ„ nitentiam, (si infirmitatem evaserint, per„ solvendam) imposita cum pace a martyri„ bus sibi promissa ad Dominum remittan„ tur. „

Respond. ad II. Nego *maj.* Indulgentiæ enim, quantum est *de se & in actu primo*, plenam homini promittunt remissionem: si modo ex parte subjecti adsint omnes dispositiones requisitæ. Insuper etiam liberant pœnitentem a satisfactione vindicatoria per canones injuncta, vel injungenda: non autem a compensatoria, nisi pro proportione studii & propositi satisfaciendi ex parte pœnitentis.

346 Objic. Contra eandem. Concessa fuit Ecclesiæ potestas dispensandi thesaurum pro plena & partiali remissione pœnæ temporalis: ergo

ergo Ecclesia per indulgentias *plenarias* totam pœnam residuam remittere intendit: ergo saltem tunc nulla datur obligatio ulterioris satisfactionis, vel propositi satisfaciendi congrue. *anteced. prob.* ex bulla CLEMENTIS VI. cap. 2. de pœnit. & remiss. inter extravagant. commun. ubi ait: „ Quem thesaurum per B. „ Petrum ejusque successores commisit fideli- „ bus salubriter dispensandum, nunc pro to- „ tali nunc pro partiali remissione pœnæ tem- „ poralis pro peccatis debitæ. „

II. Pontifices in suis indulgentiarum Bullis non requirunt hoc propositum. *Ergo* &c.

III. S. THOMAS in IV. D. XX. Q. I. A. III. qq. 1. ait: „ Christus poterat laxare absque „ omni satisfactione pœnam peccati, ut pa- „ tet Joan. VIII. de muliere adultera: „ er- „ go & Paulus potuit: ergo & Papa potest, „ qui non est minoris potestatis, quam Pau- „ lus fuit „ condonans incestuoso in Persona Christi. *ergo.* IV. Concil. LATERANENSE IV. ait: *Per indiscretas & superfluas indulgentias pœnitentialis satisfactio enervatur:* atqui non enervaretur, si indulgentiis inesset tacita conditio satisfaciendi congrue. *Ergo.*

RESPOND. ad I. Distinguo *anteced.* fuit Ecclesiæ concessa potestas dispensandi thesaurum pro plena remissione, quantum est *de se, in actu primo*, supposita dispositione debita in lucraturo, *conced.* semper in *actu secundo* & in effectu, & sine illa dispositione, *neg.* Ecclesiæ concessa fuit potestas in ædificationem, non

non in destructionem: qualis foret, si in tanta indulgentiarum abundantia, qualis hodie est, cum levissimis operibus omnis sublata fuisset satisfaciendi obligatio.

Ad II. Dist. Pontifices non requirunt, *explicite*, *conced. implicite*, per terminum *veri pœnitentes. neg.*

Ad III. Salva authoritate S. THOMÆ *Disting.* ejus argumenti *Anteced.* Christus *potuit* laxare poenam peccati absque omni satisfactione, potestate *Personali*, *extraordinaria* & incommunicabili: *Conced.* potestate *ordinaria*, & ad suos vicarios transitura, *neg.* Item: potuit laxare absque omni satisfactione, *vindicatoria: conced. compensatoria; subdisting.* in casu raro, *trans.* ordinarie, *neg*, CHRISTUS prudenter non potuit, consequenter nec voluit virtutis pœnitentiæ naturam invertere, prorsusque impunitum relinquere peccatum: quod tamen contingeret, si passim voluisset condonare peccata absque ulla satisfactione. scribit enim ipse S. THOMAS in III. D. XX. Quæst. I. A. I. Solut. 3. ad 3. „ In remissio„ ne peccatorum oportet, quod sit aliquid „ ex parte misericordiæ remittentis, ut ali„ quid de pœna remittatur, & aliquid ex „ parte recipientis, ut scilicet in aliquo pu„ niatur. „ & ibidem ad 4. in eo, qui pec„ cavit, est aliquid, quod repugnat impu„ nitati.

RESPOND. ad *conseq. Dist.* Ergo Papa idem potest, quoad remissionem satisfactionis

vin-

vindicatoriæ, *trans.* idem poteſt quoad *omnia*, *neg.* Neque enim Paulus inceſtuoſo Corinthio conceſſit indulgentiam, niſi poſt magnos pœnitentiæ labores; *ne abundantiori triſtitia abſorberetur.*

Ad IV. *Diſting. maj.* Enervatur ſatisfactio, *vindicatoria*, *conced.* *compenſatoria*, *nego.* *diſting.* etiam *min.* atqui non enervatur, ſi hoc propoſitum ſit imbibitum: ſi inſuper populus inſtruatur de neceſſitate hujus propoſiti ſatisfaciendi, & competentes quoque pœnitentiæ a confeſſariis injungantur, ne diſciplina ſatisfactionis Sacramentalis penitus deſtruatur, & pro nihilo habeatur, *conced.* ſecus, *neg.* Niſi enim populus hac doctrina magni momenti imbuatur, ſpe blanda deluſus inhiabit quidem indulgentiis copioſe lucrandis, in effectu autem parum lucrabitur, niſi ſtudio bonorum operum, & ſatisfactionibus ſponte ſuſceptis, operam navet; ſic enim certe enervatur diſciplinæ ſatisfactionisque pœnitentialis rigor. Plura alia argumenta, quibus P. Theodorus ſubvertere conatur hanc ſententiam, diſſoluta legere eſt apud Cl. D. Amort, una cum Epiſtola Cardinalis Bellarmini, quæ ſententiæ huic aperte favet.

Resolutio VII. Miniſtri indulgentiarum ordinarii ſunt ſoli Epiſcopi. Presbyteri autem & Clerici extraordinarii ex commiſſione Epiſcoporum. 347

Prob. I. pars. Olim reconciliatio pœnitentium, quæ vera erat indulgentia, ordinarie

rie tantum fiebat ab Epiſcopo, non autem a Presbytero, niſi ex delegatione Epiſcopi, ut conſtat ex ordine Romano, libris pœnitentialibus, & maxime ex CYPRIANO, qui Epiſt. X. reprehendit quosdam Presbyteros, qui lapſis ob martyrum libellos *pacem* ſeu *indulgentiam* dabant. „ Diu inquit, patientiam meam „ tenui, tacere ultra non oportet; Quod e„ nim non periculum metuere oportet de „ offenſa Domini, quando aliqui de Presby„ teris nec Evangelii, nec loci ſui memores, „ quod nunquam ſub anteceſſoribus noſtris „ factum eſt, cum contumelia & contemptu „ præpoſiti (id eſt Epiſcopi) totum ſibi ven„ dicent. Nam cum in minoribus peccatis „ agant peccatores pœnitentiam juſto tem„ pore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad „ exhomologeſin veniant, & per manus im„ poſitionem Epiſcopi & Cleri jus communi„ cationis accipiant, nunc ad communica„ tionem admittuntur nondum pœnitentia „ acta, nondum manu eis ab Epiſcopo & „ Clero impoſita. „ Concilia quoque varia ſoli Epiſcopo jus tribuunt, ut conſiderata pœnitentium diſpoſitione ſtationes ordinarias abbreviare, vel per ſaltum ad communionem admittere queat. Et olim quidem plenarias quoque indulgentias concedere Epiſcopi poterant, quas nunc Eccleſiaſtico jure Pontifices ſibi ſolis reſervarunt. Ut videre eſt Can. LXII. Concil. Lateran. IV. ut adeo hodie non niſi partiales concedere valeant Epiſcopi & quidem ſuis tantum ſubditis.

Prob,

Prob. II. pars. Illi poſſunt eſſe miniſtri 348
extraordinarii indulgentiarum, quibus jurisdictio eccleſiaſtica pro foro externo competere poteſt: atqui hæc delegari poteſt Presbyteris, & clerico cuicunque. *ergo.* &c. Hinc CYPRIANUS tempore perſecutionis abſens permiſit, ut Diaconi moribundis pacem dare poſſent. Vid. cap. II. §. IV. & ordo Romanus hæc habet: „ Si neceſſitas evenerit, „ & presbyter non fuerit præſens, Diaco„ nus ſuſcipiat pœnitentem, ac det ſanctam „ Communionem. „ Hinc in Concil. LATERAN. IV. cum Epiſcopi quererentur adverſus nonnullos Abbates, quod finibus ſuis non contenti manus ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis dignitatis, extendunt . . . concedendo etiam indulgentiarum litteras, Innocentius III. decrevit, firmiterque prohibuit, „ ne quis Ab„ batum ad talia ſe præſumat extendere . . . „ niſi forte quisquam eorum ſpeciali con„ ceſſione, vel alia legitima cauſa ſuper hujus„ modi valeat ſe tueri. „

OBJIC. contra VII. Reſolutionem. Tem- 349
pore Apoſtolorum quique fidelium poterant concedere indulgentias. *Ergo. anteced.* prob. PAULUS II. Corinth. II. ſcribit, a Corinthiis indulgentiam conceſſam fuiſſe inceſtuoſo: *ita ut e contrario magis donetis, & cui aliquid donaſtis, & ego.*

II. Fidelis quisque pro alio ſatisfacere, ſeu ſua ſatisfactoria opera alteri in remiſſionem applicare poteſt: ergo & concedere indulgentias.

III. Quisque ſacerdos eſt miniſter ordinarius ad ligandum, ergo etiam ad ſolvendum.

IV. Confeſſarius dum imponit pœnitentiam, confert indulgentiam; immutat enim pœnam in altero ſæculo debitam in aliam, quæ hic a viatore perſolvitur.

Respond. ad I. Arbitrantur non nulli, Paulum non loqui de *omnibus* Corinthiis, ſed de *nonnullis* qui inter eos erant Epiſcopi, & Presbyteri; nam eos alloquitur, qui inceſtuoſum poterant tradere ſatanæ in interitum carnis, ſeu, imponere labores pœnitentiæ: atqui hoc ſolis Presbyteris & Epiſcopis convenire certum eſt. Si autem ſermo ſit de *omnibus*, etiam laicis, tunc dico, eos improprie donare; quia ſuis operibus ſatisfactoriis aliquid contribuunt ad theſaurum Eccleſiæ, ex quo pœnam temporalem remittunt Præpoſiti; nam etiam Augustinus Lib. III. de Bapt. cap. 18. ſcripſit: *Incipiunt ad columbam*, (id eſt univerſam Eccleſiam, ex omnibus fidelibus conflatam) *pertinere, per cujus gemitum peccata ſolvuntur.*

Ad II. Diſt. poteſt pro alio ſatisfacere, *proprie* per modum *ſolutionis*, *nego. improprie* per modum *meriti* & *ſuffragii*, quo tamen de pœnitentia injuncta nihil diminuitur, ſed ex arbitrio congruo Dei gratia actualis confertur, *conced.*

Ad III. *Diſting. conſeq.* ergo etiam ad *ſolvendum*, a culpa & pœna *æterna*, vel etiam temporali, permutative *in ſacro tribunali* per *abſo-*

abſolutionem, conced. extra ab omni pœna *temporali* per modum *indulgentiæ & ſolutionis*, nego. ſæpe enim contingit, ut inferior liget, quod ſolus ſuperior ſolvere poteſt.

Ad IV. Non concedit proprie indulgentiam, utpote quæ concedi ſolet extra ſacramentum, ſed permutat pœnam rigoroſam in aliam, proportionatam tamen, & commenſuratam peccatis ac viribus pœnitentis.

Resolutio VIII. Subjectum indulgen- 350
tiarum ſunt ſoli fideles, & quidem vivi: defunctis proſunt non quidem per modum abſolutionis, ſed ſuffragii.

Prob. I. pars. Indulgentiæ conceſſio eſt actus jurisdictionis, cum ſit abſolutio a pœna temporali. Atqui jurisdictio exerceri nequit niſi in ſubditos Eccleſiæ, qui ſunt ſoli fideles. Ergo.

Prob. II. pars. Fideles defuncti Eccleſiæ 351
militantis jurisdictioni non ſubſunt; cum Chriſtus tantum dixerit: Quæcunque ſolveritis *ſuper terram* &c. ergo iis proprie non proſunt per modum abſolutionis. Vid. etiam Leo Magnus Epiſt. CVIII. quæ tota fere refertur a Gratiano cap. 49. Diſt. I. de Pœnitent.

Prob. III. pars. Definitum fuit contra 352
Lutherum, indulgentias defunctis prodeſſe: atqui non per modum abſolutionis: ergo per modum ſolutionis & ſuffragii. Sixtus IV. expreſſe tantum per modum *ſuffragii* indul-

gentiam pro mortuis concessisse legitur, ac deinceps Pontifices plures. LEO X. ESTIO teste distinguit duplicem, indulgentiam concedendi, modum: nimirum per modum *absolutionis*, & *suffragii*.

353 RESOLUTIO IX. Indulgentiæ pro defunctis concessæ, iisque applicatæ, non habent effectum *infallibilem*, nec *certo semper* liberant animam e purgatorio: sed valent per modum solennis deprecationis Ecclesiæ, quam Deo liberum est acceptare vel non, in totum vel in partem, in quantum nimirum illi defuncti, cum in vivis essent, conatum, propositumque satisfaciendi habuerunt, seque indulgentiarum reddidere dignos, aut indignos.

Prob. I. SIXTUS IV. in Bulla anno 1477, quæ integra extat apud D. AMORT, ex instituto declarat, indulgentias defunctis tantum proficere per modum deprecationis & suffragii: ergo non infallibiliter; sicut & bona opera Deo præ aliis oblata infallibilem effectum non habent, sed a gratuita Dei acceptatione ad merita offerentis respiciente dependet.

354 *Prob. II.* JOANNES VIII. apud BARONIUM ad annum 878. concedens indulgentiam defunctis in bello pro Ecclesia ait: „ Intercessione B. Petri quantum fas est absolvimus, precibusque illos Domino commendamus. „ Ergo per modum deprecationis.

Prob. III. Alii Pontifices, dum pro de- 355
functis conceſſere indulgentias, voluerunt
eos reddere participes bonorum operum,
quod tantum dicit *ſuffragium*, & *deprecatio-
nem.*

Prob. IV. Ajunt iidem, ſe indulgentiam 356
concedere defunctis, in quantum divinæ bo-
nitati placuerit, Chriſti meritis, & omnium
Sanctorum precibus & interceſſionibus ſuffra-
gantibus.

Prob. V. Indulgentiæ pro defunctis pri- 357
mis ſæculis nullæ conceſſæ ſunt, ergo Eccle-
ſia videtur agnoviſſe, non poſſe illos juvari
niſi ſuffragiis.

Prob. VI. Ne quidem animabus Princi- 358
pum, ſedi apoſtolicæ ſpecialiter devotorum,
indulgentias olim elargiti ſunt Pontifices, ſed
iis, qui devotis orationibus divinam pro illis
miſericordiam imploraverint, decem, aut vi-
ginti dies de injunctis pœnitentiis relaxa-
runt.

Prob. VII. Idem ſæculo adhuc XIV. ob- 359
ſervabatur mos in concedendis indulgentiis
confraternitatibus, ut nempe confratres, qui
pro animabus in purgatorio pias ad Deum
preces fuderint, indulgentiam vel plena-
riam vel minus plenam conſequerentur.

Prob. VIII. Sæculo XIII. - XV. adhuc 360
dubitabatur inter Theologos, an Pontifex poſſit
defunctis indulgentias concedere, nempe per
modum abſolutionis: ergo.

361 *Prob. IX.* Si quælibet indulgentia pro defunctis concessa, aut missa in altari privilegiato celebrata, infallibiliter unam animam e purgatorio liberaret; tunc secundum calculos a Cl. D. Amort subductos, jam dudum totus ille pœnarum carcer fuisset evacuatus. Largitur enim liberaliter, quotidie in purgatorium descendere decem Christianorum *millia*, adeoque intra annum 3650000. & intra quinque annorum millia, pro proportione paucitatis ante Christum, septem millia millionum, ut rotunde loquar, in purgatorium venisse. Jam si supponantur catholicos existere 166000000. & eorum quemlibet intra tres tantum quinque lucrari indulgentias plenarias pro defunctis, jam lucrabuntur octo millia millionum indulgentiarum, adeoque intra triennium plures lucrantur indulgentias, quam animæ fuerint in purgatorio ab origine mundi. his addendæ tot missæ quotidie pro defunctis celebrari solitæ, quorum ad minimum viginti mille sunt privilegiatæ. Jam si indulgentia quælibet, & singulæ missæ in altari privilegiato celebratæ infallibiliter unam animam e purgatorio liberarent, impossibile est vel unam adhuc ibidem existere. At vero existere ibidem plurimas catholici non dubitant: igitur indulgentia pro defunctis concessa non liberat infallibiliter, sed pendet ex gratuito Dei beneplacito, an deprecationem Ecclesiæ pro defunctis acceptare, easque e carcere educere velit.

Prob. X. Videtur hæc etiam eſſe fidelium 362
mens; neque enim contenti ſunt, ut pro iis, quibus ſpecialiter benefacere volunt, ſemel tantum indulgentiam lucrari ſtudeant, aut unum tantum ſacrum in altari etiam privilegiato celebrari faciant, ſed ſæpius: ergo eo ipſo ſupponunt, eas non infallibiliter hiſce auxiliis ex integro juvari; ad quid enim miſſas, ſic dictas *Gregorianas*, triginta numero celebrari faciunt, ſi *unica* infallibilem haberet effectum? Igitur perſuaſum habent, totum hoc pendere ex gratuita Dei acceptatione: quem propterea iteratis precibus & ſacrificiis permovere pie ſatagunt, & quadam quaſi importunitate vincere.

Diſpoſitiones in lucraturo indulgentiam 363
paucis hic enarrare operæ pretium fuerit: Requiritur ergo 1. ut ſit *baptizatus;* indulgentiæ enim fundantur in poteſtate clavium, cui non niſi baptizati ſubſunt. 2. Ut non ſit *excommunicatus;* quia excommunicatio privat communione bonorum Eccleſiæ. Aliæ tamen cenſuræ, ut irregularitas, ſuſpenſio, interdictum hoc uſu non privant. 3. Requiritur *adimpletio operum* præſcriptorum. Confeſſio quandoque eſt tantum diſpoſitio, quandoque opus neceſſarium etiam juſto, quod ex tenore indulgentiarum eſt deſumendum. 4. Requiritur *ſtatus gratiæ*, ſaltem tempore ultimi operis; cum pœna temporalis non dimittatur, niſi reatus peccati fuerit dimiſſus. 5. *Propoſitum* congrue ſatisfaciendi n. 332. Nam indulgentiæ concedun-

tur *vere pœnitentibus*. 6. Etiam requiritur *ſtatus gratiæ* in lucraturo indulgentias pro defunctis; quoniam ſolum habent vim deprecationis: non eſt autem conveniens, ut Deus peccatoris preces pro alio exaudiat, aut Eccleſia eas Deo offerat, utpote opus mortuum. Aliud dicendum de ſacerdote peccatore, in altari privilegiato celebrante; fructus enim ſacrificii ex opere operato provenit, cum ibi principalis offerens ſit ipſe Chriſtus. 7. *Intentio* ſaltem virtualis lucrandi indulgentiam. 8. Ut oratio dirigatur *ad finem* a concedente determinatum.

CAPUT VI.

DE ABSOLUTIONE.

364 Ut ſacramenta omnia conſtant rebus & verbis, quæ effectum exprimunt; ita & ſacramentum pœnitentiæ conſtat verbis, quibus *abſolutio* a peccatis, eorumque remiſſio, tanquam effectus ſacramenti, exprimitur. Inquirendum hic §. I. quænam verba conſtituant formam ſacramenti pœnitentiæ, & an illa fuerint ſemper indicativa: an deprecatoria hodie valeat. II. An olim quibusdam peccatis fuerit denegata abſolutio. III. An conceſſa ante expletam ſatisfactionem.

§. I.

De forma Sacramenti pœnitentiæ.

Notum eſt omnibus, formam his nunc exprimi verbis: *Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et ſingula de præcepto eſſe neceſſaria. An omnia ad valorem requirantur? diſceptatur; nam τo *a peccatis*, quidam ad eſſentiam non pertinere arbitrantur, quia in verbis: *Abſolvo te*, intelliguntur; cum enim abſolutio fiat poſt confeſſionem peccatorum, & in ordine ad abſolutionem; facile intelligitur, ſacerdotem non *a cenſuris*, a quibus abſolutio plerumque conceditur extra ſacramentum, ſed *a peccatis* abſolvere velle. Major eſt dubitatio de invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, quam ad valorem neceſſariam eſſe, nonnulli arbitrantur, 1. ducta paritate a Baptiſmo: 2. quia Eccleſia vetus ad omnem abſolutionem aliquam Dei invocationem ſemper adhibuit: 3. quia non minus neceſſaria eſſe videtur expreſſio authoris principalis, quam inſtrumenti, quod eſt ſacerdos, qui exprimitur per τo *abſolvo*. Quidquid de eo ſit; quando agitur de valore ſacramenti, eligenda eſt ſententia tutior. Verbis hodiernæ formulæ abſolutionis „ de Eccleſiæ Sanctæ more preces quæ„ dam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius „ tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpe„ ctant, neque ad ipſius Sacramenti admini„ ſtrationem ſunt neceſſariæ, „ ut loquitur

Synodus TRIDENTINA sess. XIV. cap.3. Consultum tamen, imo præceptum Ecclesiæ esse existimo, ut illa verba: *Dominus noster JEsus Christus te absolvat* &c. quæ formam præcedunt, etiam in concursu populi nunquam intermittantur; 1. Quia quoad substantiam in Ecclesia semper fuerunt usurpata, & nunc a Ritualibus præscripta: quorum consensus denotat Ecclesiæ voluntatem. 2. *Cum etiam* maxime serviant ad reverentiam Sacramento conciliandam, & exprimant causam principalem remissionis peccati. 3. Eoquod Concil. TRIDENTINUM dicat, istas preces adjungi de *Ecclesiæ sanctæ more*: atqui mori constanti Ecclesiæ privatus Sacerdos contravenire non debet citra temerariam innovationem. Quæritur nunc 1. an forma olim apud Latinos fuerit, & apud Græcos adhuc hodie deprecatoria. 2. Quando inceperit indicativa hodierna. 3. Num apud Latinos deprecativa formula hodie valeat.

366 RESOLUTIO I. In utraque Ecclesia usque ad sæculum X. forma absolutionis erat deprecatoria.

Prob. I. negative; Quia non potest ostendi quoddam Ecclesiasticum documentum, quod absolutionem indicative fuisse prælatam evinceret. II. Ex adverso Patres, quando de absolutione loquuntur, eam deprecatorie efferunt. Sic S. CYPRIANUS serm. de lapsis, eos ad pœnitentiam hortatur, qua acta absolutionem consequerentur. „ Rogamus vos, ait,

„ ut

„ ut pro vobis Deum rogare poſſimus; pre-
„ ces ipſas ad vos prius vertimus, quibus
„ Deum pro vobis, ut miſereatur, oramus; a-
„ gite pœnitentiam plenam. „ Sæculo IV.
S. Ambrosius lib. III. de Spiritu Sancto cap.
18. Exponens illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum* &c. „ Ecce quia per Spiritum San-
„ ctum peccata donantur: homines autem
„ in remiſſionem miniſterium ſuum exhibent;
„ non jus alicujus poteſtatis exercent; ne-
„ que enim in ſuo, ſed in Patris & Filii &
„ Spiritus Sancti nomine peccata dimittun-
„ tur. Iſti rogant, divinitas donat. „ S. Augustinus ſæpius invehitur in hæreticos Donatiſtas, qui dicere ſolebant: *Ego peccata dimitto:* aitque lib. XV. de Trinitate cap. 26.
„ Ut hoc fiat, Deum, a quo efficiatur, ſuper
„ eos invocamus. „ S. Leo Epiſt. LXXXII.
„ Indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacer-
„ dotum nequit obtineri. „ Denique Auctores omnes, qui ad ſæculum usque X. libros pœnitentiales ediderunt, & de Ritibus ſacramentorum ſcripſerunt, de pœnitentia agentes, non niſi *preces* commemorant, ſuper pœnitentem fundi ſolitas: ut videri poteſt apud Morinum, Juenin, Witasse, aliosque.

Nec poteſt dici, ob *diſciplinam arcani* præ- 367
termiſſam fuiſſe formam Sacramenti; nam I. Hæc non perſeveravit usque ad illa ſæcula. II. Aliæ ſacramentorum formæ in iis continentur. III. Libri ſacramentales, qui ad uſum ſolorum Epiſcoporum & ſacerdotum erant conſcripti, non ſubjacebant periculo di-
vul-

vulgationis ad Paganos, & catechumenos: propter quos ſolos diſciplina arcani introducta, aut continuata fuit.

368 Objic. contra I. Reſolutionem. In pœnitentiali Ecberti ſæculo VIII. legitur inter alias hæc formula: „ Sis namque abſolutus a „ Deo Patre, & Filio & Spiritu *Sancto* ab o„ mnibus peccatis tuis. Similiter etiam ſis „ abſolutus a ſanctis Apoſtolis & martyribus „ & confeſſoribus, ſive ab omnibus timenti„ bus Deum, & a me, quamvis indignus, & „ hic & in futuro ſæculo. Amen.„ Atqui hæc formula eſt implicite indicativa, redditque ſenſum, *abſolvo te.* Ergo.

II. S. Thomas dicit, doctrinam ſui adverſarii, de forma deprecatoria, repugnare verbis Chriſti. Atqui forma repugnans verbis Chriſti nunquam fuit ab Eccleſia probata. Ergo.

III. Chriſtus dixit: *Quodcunque SOLVERIS* &c. ergo voluit, ut Sacerdos declaret verbis, ſe *abſolvere*: ſecus debuiſſet dicere *quodcunque PETIERIS ſolvi.*

Respond. ad I. Formulam eſſe indulgentialem, ſeu reconciliationem canonicam; cum utique Apoſtoli, & ſancti cum Chriſto regnantes, non poſſint abſolvere ſacramentaliter.

Respond. ad II. Doctrina Adverſarii repugnat verbis Chriſti; quia docuit, quod ſacerdos nec *re* nec *verbis* debeat demonſtrare poteſtatem authoritativam.

Resp.

Respondeo ad III. *Diſting.* quodcunque ſolveris &c. ita ut poteſtas ſolvendi exprimatur ipſo *actu*, *conced.* ut exprimatur etiam *verbis*, *neg.* Non enim Chriſtus verba, modumque formæ hujus ſacramenti in individuo determinavit: dummodo exprimatur effectus; qui eſt remiſſio peccatorum.

Resolutio II. A Sæculo X. ad XIII. 369
frequentior fuit uſus formulæ deprecatoriæ: quamvis etiam indicativa uſurpari cæperit.

Prob. I. pars. Guilielmus Paris. anno 1230. de Sacram. pœnit. c. 19. ſcribit: „ Non „ more judicum forinſecorum pronuntiat Con-„ feſſor: abſolvimus te . . . ſed magis ora-„ tionem facit ſuper eum, ut Deus abſolutio-„ nem & remiſſionem atque gratiam ſatisfa-„ ctionis tribuat. „

II. Theologus ille, quem S. Thomas opuſcul. XXII. formam indicativam repugnans refutat, objecerat: „ Quod vix triginta anni „ ſunt, quod omnes hac ſola forma utebantur: *Abſolutionem & remiſſionem tribuat tibi Dominus* &c. „ Atque pro ſe adduxerat Guillemum Altiſſiodorenſem, Guilielmum Pariſ. & Hugonem Cardinalem. ad quod S. Thomas id unum reſpondit: *Sed quomodo poteſt de omnibus teſtimonium perhibere, qui omnes non vidit.* Si S. Th. ſciviſſet, praxin Eccleſiæ contrariam eſſe; utique authorem mendacii aut falſitatis arguiſſet. Imo Franciscus Magronis ad annum 1320. ſcribit, formam deprecatoriam non ita pridem fuiſſe in

uſu

uſu in provincia *Provinciæ*, ſed poſtea fuiſſe improbatam.

370 *Prob. II.* pars. Hugo MENARDUS in not. ad ſacramentarium Gregorii Magni, exhibet ſacramentarium Sæculo X. exaratum, ubi inter alias formulas reperitur & iſta: *Abſolvimus vos vice B. Petri . . . cui Deus ligandi, atque ſolvendi poteſtatem dedit.* In ordine Rom. X. a MABILLONIO edito, eadem legitur formula. átque etiam in Codice Rothomagenſi, quem vulgavit MORINUS. ſæculo XIII. utraque formula indicativa & deprecatoria ſolebat conjungi ut conſtat ex ALEXANDRO Alenſi P. IV. Summæ Q. XXI. membro 1. & 2. art. 2. item ex S. BONAVENTURA in IV. D. XVIII. P. I. A. II. q. 1. Tandem ad finem ſæculi XIII. ſola indicativa in Eccleſia latina tanquam legitima reputari ſolebat, ut conſtat ex S. THOMA opuſculo citato, & FRANCISCO Magronis pariter citato: atque ita hactenus obſervatur.

371 RESOLUTIO III. Apud Græcos ſemper fuit, & adhuc in uſu eſt forma deprecatoria.

Prob. Omnia Euchologia Græcorum ſolas orationes commemorant. JEREMIAS Patriarcha, a Lutheranis de confeſſione interrogatus, reſpondit catholice: abſolutionis tamen vim ſolis precibus attribuit. CLEMENS VIII. in inſtructione ſuper ritibus Græcorum, „ in caſu „ neceſſitatis, ait, Presbyteri Græci catholi- „ ci poſſunt latinos abſolvere: utantur for-

„ ma

„ ma abſolutionis in generali Florentina Sy-
„ nodo præſcripta: & poſtea, ſi voluerint, di-
„ cant orationem illam deprecativam, *quam*
„ *pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere TAN-*
„ *TUM conſueverunt.* „ Ergo Græci inter ſe hac *TANTUM* utuntur. Presbyter græcus Romæ a Morino de formula Eccleſiæ ſuæ interrogatus, reſpondit hanc eſſe. „ Ipſe
„ Domine remitte, dimitte, condona peccata
„ hujus N. quia tua eſt potentia, tuum re-
„ gnum &c. „

Resolutio IV. Valida eſt græcorum 372
formula deprecatoria: 2. valida quoque inter latinos: 3. quamquam ea adhibenda non ſit; cum in adminiſtratione ſacramentorum eligenda ſit ſententia tutior, & forma indicativa ſit de præcepto.

Prob. I. pars. Valida fuit aliquando; cum alia uſi nunquam fuerint: ſecus ſequeretur, in Eccleſia orientali per octodecim ſæcula pœnitentiæ ſacramentum non fuiſſe valide adminiſtratum: ergo adhuc valet. *conſeq.* prob. Quia Eccleſia nunquam græcis objecit, invalida illos uti abſolutionis formula, nec rite adminiſtrare ſacramentum pœnitentiæ. Cumque Clemens VIII. Presbyteris Græcis ſolum mandaverit, ut quando in neceſſitate abſolvunt Latinos, utantur formula indicativa: eo ipſo probavit deprecatoriam, quam ſciebat illos, dum Græcos abſolvunt, dicere *tantum* conſueviſſe.

373 *Prob. II.* pars. Etiam apud Latinos aliquando valuit. ex n. 366. ergo etiam nunc valet, quamvis ſit illicita. *conſeq.* prob. Mutatio formæ accidentalis non reddit eam invalidam: atqui proferre formam modo deprecatorio, aut indicativo, eſt mutatio tantum accidentalis; ſi enim eſſet mutatio eſſentialis, nunquam valuiſſet. Ergo &c.

374 II. Valet inter Græcos forma indicativa: ergo etiam inter latinos deprecatoria. *conſeq.* prob. a paritate de conſecratione panis azymi & fermentati: utrumque valide conſecrant græci & latini, quamvis peccet latinus conſecrando fermentatum: græcus azymum.

375 III. Forma, quæ aliquando fuit valida, & ab Eccleſia nunquam declarata invalida, ſemper valet; quia Chriſtus formas ſacramentorum omnium in individuo non determinavit, ſed reliquit Eccleſiæ: modo exprimatur effectus ſacramenti; atqui forma deprecatoria nunquam ab Eccleſia fuit declarata invalida; ubi enim? ergo valet.

376 IV. Modus pronuntiandi formam tantum ad diſciplinam pertinet, quæ pro tempore & loco varia eſſe poteſt; atqui varietas diſciplinæ non mutat ſubſtantiam ſacramenti: ergo valet ſacramentum pœnitentiæ, cum forma deprecatoria collatum.

377 V. In forma deprecatoria exprimitur effectus ſacramenti, & author principalis Deus: ergo cum valeat indicativa, ubi etiam exprimitur effectus, & cauſa tantum miniſterialis,

nempe

nempe persona ministri, a potiori valebit deprecatoria.

VI. Si quid obstaret, tunc hoc; quia per deprecationem non exprimitur actus judicialis: sed hoc non obstat, *ergo. min.* prob. Formula deprecatoria per X. saecula exprimebat actum judicialem: ergo etiam nunc. Dein quamvis TERTULLIANUS de Poenit. cap. 10. dicat: „ Christus Patrem deprecatur: facile impetra- „ tur semper, quod filius postulat. „ Et lib. de Pudicit. cap. 19. de peccatis per Ecclesiam remissibilibus: „ Horum ergo erit venia per „ exoratorem Christum. „ tamen Christus absolvit *judicialiter* quia deprecatur *authoritative*: ergo etiam sacerdos deprecans absolvit *judicialiter*: quia deprecatur *authoritative*, authoritate & nomine Christi. 378

OBJIC. contra III. & IV. Resolutionem. Sacerdotes Graeci utuntur hac forma: *Mediocritas mea habet te absolutum*, uti testatur ARCUDIUS ipse Graecus. Ergo. 379

II. GABRIEL Philadelfiensis Graecus ait, formam poenitentiae esse hanc. *Ego habeo te pro absoluto.*

III. Tridentinum dum dicit, formam absolutionis sacramenti poenitentiae esse haec verba: *absolvo te* &c. ait, preces adjunctas non pertinere ad essentiam: ergo non sunt institutionis divinae: ergo nec valent; quamvis exprimerent effectum sacramenti.

RESP. ad I. Hanc formam esse recentiorem, nec reperiri in Euchologiis, & dici per

modum benedictionis poſt adminiſtratum Sacramentum: quemadmodum latini dicunt; vade in pace, noli amplius peccare.

Ad II. Author iſte eſt recentior, & cum ſtudia abſolverit in latio Bataviæ; hinc Græcam formulam voluit accomodare latinæ.

Ad III. *diſting. antec.* Non pertinere ad eſſentiam, quando quis intentionem conferendi Sacramentum alligat formulæ indicativæ, quemadmodum Sacerdos Latinus ex præcepto debet: *conced.* ſi proferrentur ſolitarie absque forma indicativa, illisque alligaretur intentio conferendi Sacramentum, *neg.* *diſting.* etiam *conſeq.* Ergo non ſunt inſtitutionis divinæ, hoc ſenſu, quod Chriſtus non determinaverit modum formæ deprecatorium, *conced.* nam nec indicativum determinavit. Quod Chriſtus eam excluſerit, *neg.*

§. II.

An quibusdam peccatoribus olim negata fuerit abſolutio?

380 Viri quidam doctiſſimi, & ab errore Novatianorum maxime alieni, quamvis fateantur nullum eſſe crimen, quod Eccleſia remittere nequeat; docent tamen, quibusdam peccatoribus ex ſeveriore diſciplina abſolutionem etiam in exitu vitæ olim denegatam fuiſſe; non defectu poteſtatis, ſed quod Eccleſia illos venia indignos, aut ad eam non debite diſpoſitos judicaverit. Hujusmodi e-

rant, qui cum ſani pœnitentiam non poſtulaſſent, in exitu vitæ reconciliari volebant, & alii quoque graviorum criminum rei. Difficile eſt hac in re determinare, videturque controverſia eo præcipue redire, quid nomine *communionis* & *viatici* intelligendum veniat: an ſacra Evchariſtia: an ſola abſolutio a peccatis? Ut tamen, quod ſentio, pandam: ſit

Resolutio I. Primo Eccleſiæ ſæculo nulli crimini etiam canonico venia negata fuit. 381

Prob. I. Apoſtolus abſolvit inceſtuoſum Corinthium. II. S. Joannes Evangel. Juvenem a ſe Baptizatum, & poſtea latronibus ſociatum, Eccleſiæ communioni reſtituit: ut narrat Clemens Alexandrinus apud Eusebium H. E. III. 23.

III. Can. Apoſt. LXII. Clericis idololatris, & Can. XXIV. fornicatoribus veniam concedi jubent.

IV. Irenæus Lib. I. 9. teſtatur, mulieres a Marco præſtigiatore deceptas, & ab hæreſi converſas ad Eccleſiam fuiſſe admiſſas.

Resolutio II. Canonicorum criminum reis, qui pœnitentiam primum in extremo vitæ diſcrimine petierant, cum ſani de reconciliatione non fuerint ſoliciti, ſecundo ſaltem & III. ſæculo abſolutio Sacramentalis denegata fuiſſe videtur. 382

Prob. I. ex S. Cypriano Epiſt. LII. ad Antonianum. „ Pœnitentiam non agentes,

 nec

„ nec dolorem delictorum suorum toto corde,
„ & manifesta lamentationis suæ professione
„ testantes, prohibendos omnino censuimus
„ a spe communicationis & pacis, si in infir-
„ mitate atque periculo cæperint deprecari;
„ quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed
„ mortis urgentis admonitio compellit; nec
„ dignus est in morte accipere solatium, qui
„ se non cogitavit esse moriturum. „ Nomine communicationis & pacis hoc *loco intelligi* absolutionem Sacramentalem constat ex eo, quia 1. ratio Cypriani id probat; ideo enim negat communicationem, quia præsumuntur hi tales, vero dolore & proposito destituti: atqui isti non tantum Evcharistia sed etiam absolutione Sacramentali indigni sunt. 2. Quia illo tempore Evcharistia non disjungebatur ab absolutione Sacramentali, saltem respectu morientium, ut constat ex eodem CYPRIANO Epist. LIV. „ Censuimus eis, qui
„ de Ecclesia Domini non recesserunt, sed
„ pœnitentiam agere, & lamentari, ac Do-
„ minum deprecari a primo lapsus sui die
„ non destiterunt, pacem dandam esse, &
„ eos ad prælium, quod imminet, armari &
„ instrui oportere: at vero nunc non infir-
„ mis, sed fortibus, pax necessaria est, nec
„ morientibus, sed viventibus communicatio
„ a nobis danda est; ut quos excitamus &
„ hortamur ad prælium, non inermes &
„ nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus &c. item

Con-

Concil. CARTHAGINENSE IV. Can. LXXVI. infra n. 389. allegandum.

Prob. II. EXUPERIUS Epiſcopus Tholo- 383
ſanus INNOCENTIO I. hanc propoſuerat quæſtionem; „ quid de his obſervari oporteat, „ qui poſt Baptismum omni tempore incon- „ tinentiæ & voluptatibus dediti, in extre- „ mo fine vitæ ſuæ *pœnitentiam ſimul*, & *re-* „ *conciliationem communionis* expoſcunt. „ Reſpondit Pontifex Epiſt. III. Cap. 2. „ De his „ obſervatio *prior* durior: *poſterior* interve- „ niente miſericordia inclinatior. Nam con- „ ſuetudo *prior* tenuit, ut concederetur eis „ pœnitentia (id eſt ut admitterentur ad pœ- „ nitentiam, ſi convaluiſſent, perſolvendam,) „ ſed communio (Eccleſiaſtica, ſeu reſtitu- „ tio corpori Eccleſiæ per abſolutionem Sa- „ cramentalem) negaretur. Nam cum illis „ temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne „ communionis conceſſæ facilitas homines „ de reconciliatione ſecuros non revocaret a „ lapſu, negata merito *communio* ſeu abſolu- „ tio, eſt, conceſſa *pœnitentia*, ne totum pe- „ nitus negaretur; & duriorem remiſſionem „ fecit temporis ratio. Sed poſtquam Domi- „ nus noſter pacem Eccleſiis reddidit, jam „ depulſo terrore communionem obeuntibus „ dari placuit, & propter Domini miſericor- „ diam quaſi viaticum profecturis, & ne No- „ vatiani hæretici, negantis veniam, aſperi- „ tatem & duritiem ſubſequi videamur. Tri- „ buitur ergo cum pœnitentia extrema com- „ munio (abſolutio Sacramentalis) ut homi-

 nes

„ nes ejusmodi vel in ſupremis ſuis pœni- „ tentes miſerante ſalvatore noſtro a perpe- „ tuo exitio vindicentur. „ Quod INNOCENTIUS loquatur de abſolutione Sacramentali prioribus ſæculis negata prob. 1. quia Exuperius interrogabat de reconciliatione; atqui interrogatio & reſponſio in idem tendere debent. 2. Quia fatentibus *Adverſariis* negata fuit Evchariſtia; atqui Evchariſtia jungebatur abſolutioni Sacramentali ex CYPRIANO n. præced. cit. 3. Quia illa communio dicitur *remiſſio*, *venia*, quæ denotant proprie *abſolutionem*. 4. Quia per communionem intelligit id, quod negabant Novatiani; atqui hi non tantum Evchariſtiam, ſed etiam abſolutionem negabant. 5. Loquitur de communione, quæ ab æterno exitio liberat. Atqui hoc proprium eſt abſolutioni. 6. Si loqueretur de communione Evchariſtica, non fuiſſet obſervatio *prior* durior *poſteriore;* cum etiam tempore pacis quibusdam in articulo mortis negata fuerit Evchariſtia, & adhuc negetur in Gallia damnatis ad mortem.

384 A ſæculo autem IV. remiſit iſta ſeveritas, & abſolutio in fine vitæ conceſſa fuit pœnitentibus, ea tamen lege; ut ſi convaluerint, ſtadium pœnitentiæ reſiduum explere debuerint, ut aliquoties jam oſtendi.

385 OBJIC. contra Reſolut. II. S. CYPRIANUS in celebri epiſt. LII ad Antonianum inter alia hæc ſcribit pag. m. 175. „ Jacet ecce „ ſaucius frater, ab adverſario in acie vul- „ neratus. Inde diabolus conatur occidere,

„ quem vulneravit: hinc Chriſtus hortatur,
„ ne in totum pereat, quem redemit. Cui
„ de duobus aſſiſtimus, in cujus partibus ſta-
„ mus? utrumne diabolo favemus, ut peri-
„ mat, & ſemianimem fratrem jacentem, ſi-
„ cut in Evangelio Sacerdos & Levites præ-
„ terimus? an vero ut Sacerdotes Dei &
„ Chriſti, quod Chriſtus & docuit & fecit imi-
„ tantes, vulneratum de adverſarii faucibus
„ rapimus, ut curatum Deo reſervemus. „
Et infra: „ Miror autem quosdam ſic obſti-
„ natos eſſe, ut dandam non putent lapſis
„ pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment
„ veniam denegandam; cum ſcriptum ſit:
„ Memento unde excideris, & age pœniten-
„ tiam &c. - - - Quos utique ad pœniten-
„ tiam Dominus non hortaretur, niſi quia
„ pœnitentibus indulgentiam (abſolutionem)
„ pollicetur. „ Hæc S. Doctoris principia
invicte probant, ut ait COLLETUS pag. m. 473.
non negandam, proinde nec ab ipſo negatam
fuiſſe reconciliationem, iis qui tantum in exi-
tu, ſincere tamen, eam expeterent. Hos e-
nim & redemit Chriſtus: hos ad pœniten-
tiam hortatur: hos ſemianimes præterit Sa-
cerdos, ut viatorem in via Jericho vulnera-
tum, cum iis opem ſuam negat. Ergo vel
ſe ipſum proprio mucrone percuſſit Cyprianus,
cum paulo poſt infirmos a pace excludere vi-
detur: vel ejus verba leniori ſenſu intelligi de-
bent.

Denique in eadem epiſt. ait S. hic Pater:
duriſſimum eſſe eum, qui pœnitentiam impo-

 nit,

nit, nec tamen veniam concedit. Ergo a rigore hujus opinionis procul abfuit CYPRIANUS.

RESPOND. Integram hanc epistolam pervolventi evidens est, Cyprianum loqui de lapsis, qui jam poenitentiam persolverant, aut certe inchoaverant: quibus tamen Antonianus paulo rigidior aut veniam negandam esse, aut sine poenitentia peracta concessam fuisse credidit. Agit enim ibi I. de TROPHIMO in persecutione lapso, sed iterum cum poenitentia reverso, & admisso: „ & quoniam „ cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo & *satisfaciente* & poenitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & „ fraternitatem, quam nuper abstraxerat, „ cum *plena humilitate & satisfactione* revocante, auditae sunt ejus preces, & in Ecclesiam Dei non tam Trophimus, quam „ maximus fratrum numerus qui cum Trophimo fuerat, admissus est - - - sic tamen admissus est, ut laicus communicet, non, „ secundum quod ad te malignorum litterae „ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet. „ Agit deinceps de Libellaticis, quos aut a poenitentia agenda, aut saltem a venia impetranda remotos volebat Antonianus: Cyprianus autem post poenitentiam absolvendos esse judicabat cum Cornelio R. P. „ Quorum, inquit, si *poenitentiam* (jam peractam) „ respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiae, statim cum uxore, „ cum

„ cum liberis - - - in hæreſim vel ſchiſma „ diabolo invitante rapiuntur; & adſcribetur „ nobis in die judicii, nec ovem ſauciam cu„ raſſe, & propter unam ſauciam multas in„ tegras perdidiſſe &c. Igitur diſtinguo argumentum Colleti: Cypriani principia probant, non negandam, nec ab eo negatam fuiſſe reconciliationem, iis, qui pœnitentiam perſolviſſent, aut ſani inchoaſſent, *conc.* iis, qui in ſanitate conſtituti de pœnitentia nunquam cogitaverant, *nego.* Verum hunc eſſe CYPRIANI ſenſum patet ex ipſis ejus verbis a *Colleto* ſecundo loco adductis. Atque hac, diſtinctione adhibita nec ſibi contradicit Cyprianus, nec ejus verba leniori ſenſu accipi debent.

RESP. ad ult. DIST. duriſſimus eſt, qui veniam non concedit poſt impoſitam & peractam pœnitentiam, *conc.* ante expletam, vel ſaltem inchoatam, *nego.* primum faciebant Novatiani: alterum cum CYPRIANO Catholici illius temporis.

OBJIC. II. contra eandem. INNOCENTIUS 386
I. citatus ait, pœnitentiam fuiſſe conceſſam. Atqui nomine pœnitentiæ intelligitur Sacramentum: conſequenter & abſolutio. ergo.

II. Concil. NICÆNUM I. Can. XIII. ait, *antiquam eſſe legem*, ut morituro viaticum Evchariſtiæ concedatur: atqui Evchariſtia non conceditur ſine abſolutione Sacramentali. Ergo fuit lex Eccleſiæ abſolvere morituros.

RESP. ad I. Innocentius per *pœnitentiam* intelligit impoſitionem ſatisfactionis, a recon-

valeſcentibus perſolvendæ. Hoc ipſum autem pro gratia magna habebant primi Chriſtiani, ſi in ordinem pœnitentium reciperentur, quod magnis fletibus & fidelium interceſſione impetrare nitebantur; perſuaſi enim erant, operibus ſatisfactoriis, ab Eccleſia ſolenniter impoſitis, ineſſe vim ad impetrandam a Deo veniam ex interceſſione fidelium, & precibus Sacerdotum.

Ad II. Diſtinguo: Si pœnitentiam ſani inchoaſſent, *conced.* ſecus, *neg.* hoc ſenſu vel ipſe Colletus hunc canonem exponit contra Tournelium.

387 Resolutio III. In præcipuis Eccleſiis tam orientis, quam occidentis, canonicorum criminum rei, ſi pœnitentiam perſolviſſent, aut ſaltem ſani inchoaſſent, abſolutio Sacramentalis non fuit denegata: quamvis quidam Epiſcopi in Africa & Hiſpania eandem negaverint.

Prob. I. pars. De Eccleſia Ephesina conſtat ex facto S. Joannis Apoſtoli. De Romana ex Herma Paſtore Lib. II. mond. 4. & epiſtola Cleri Romani ad Cyprianum XX. XI. inter Cyprianicas. De Eccleſia Corinthiaca ex Paulo Apoſtolo, & Dionysio Corinthio apud Eusebium lib. IV. cap. 23. denique de oriente paſſim ex Irenæo n. 281. cit. ex Canonibus Apoſtolorum L. LX. LXI. ex Concilio Nicæno Can. XIII. „ De his, qui ad „ exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua „ regularisque ſervabitur, ut ſi quis egreditur,

„ ditur e corpore, ultimo & maxime neceſſa-
„ rio viatico minime privetur. „ De Eccle-
ſia Africana ſæpius teſtatur Cyprianus.

Prob. II. pars. Cyprianus Epiſt. LII. 388
hæc ſcribit ad Antonianum: „ Et quidem
„ apud anteceſſores noſtros quidam de Epi-
„ ſcopis iſtis in provincia noſtra dandam pa-
„ cem mæchis (conſequenter etiam aliorum
„ criminum canonicorum reis) non putave-
„ runt, & *in totum* pœnitentiæ locum con-
„ tra adulteria clauſerunt, non tamen a Coe-
„ piſcoporum ſuorum collegio receſſerunt,
„ aut catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duri-
„ tiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione rupe-
„ runt. „ Concilium Eliberitanum in Hi-
ſpania pluribus criminibus etiam in fine vitæ
negavit communionem: ut Can. 2. 12. 65.
67. 70. 71. Qui ita ſonat: Prohibendum,
„ ne qua fidelis vel catechumena aut comi-
„ cos aut viros ſcenicos habeant: Quæcun-
„ que hoc fecerint, a communione arcean-
„ tur. „ Atqui nomine *communionis* ibidem
intelligitur non Evchariſtia, ſed communio
Eccleſiaſtica, ſeu abſolutio; nam Can. 76.
ſtatuitur. „ Si quis diaconum ſe permiſerit
„ ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimi-
„ ne mortis, quod aliquando commiſerit: ſi
„ ſponte fuerit confeſſus, placuit, eum acta
„ legitima pœnitentia poſt triennium accipe-
„ re communionem, (ſeu fidelium commu-
„ nioni per abſolutionem reſtitui.) Quodſi
„ alius eum detexerit, poſt quinquennium

„ acta

„ acta pœnitentia accipere communionem „ laicam debere. „ Laica communio, ut e- „ ruditi plerique consentiunt, non dicit com- „ munionem Evcharistiæ, sed consistentiam inter laicos, clericis degradatis concessam. De communione laica clericis etiam in fine vitæ negata extant plures canones SARDICENSIS Concilii I. & II. Concil. COLONIENSIS. At vero ROMANUM III. sub Felice III. Can. II. *Communionem laicam* manifeste sumit pro *absolutione;* sic enim statuit: „ Quia idem Domi- „ nus atque Salvator clementissimus est, & „ neminem vult perire, usque ad exitus sui „ diem in pœnitentia (si resipiscant) jacere „ convenit, nec orationi modo fidelium, sed „ ne catechumenis omnimodo interesse, qui- „ bus communio laica tantum in morte red- „ denda est. „ Si per *communionem* hic intelligitur Evcharistiæ concessio, tunc inepte diceretur *laica;* quoniam non aliud dabatur viaticum clericis & laicis: utrisque enim dabatur Evcharistia vel sub una vel sub duplici specie, nullo habito discrimine inter laicos & Clericos.

389 Universim in hac materia observandum, veteres sequentia accurate distinguere: imo impositionem pœnitentiæ. 2. Absolutionem & Sacramentalem & Ecclesiasticam. 3. Jus participandi Sacramenta. Quod sanis non nisi post integre expletam satisfactionem, vel concessam indulgentiam concedebatur, quæ etiam dicebatur *legitima communio*, & *absolutissima absolutio.* sic Concil. ARAUSICANUM I. Can.

Can. III. „ Qui recedunt de corpore, pœ-
„ nitentia accepta (ſed nondum expleta,)
„ placuit ſine reconciliatoria manus impoſi-
„ tione, (qua ab onere ulterioris ſatisfactio-
„ nis eximebantur,) communicare, ſeu ab-
„ ſolvi a peccatis & ab excommunicatione,
„ aut etiam accipere Eucharistiam pro Arti-
„ culo mortis) quod morientis ſufficit conſo-
„ lationi, ſecundum definitiones Patrum, qui
„ hujusmodi communionem congruenter via-
„ ticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint,
„ ſtent in ordine pœnitentium, & oſtenſis ne-
„ ceſſariis pœnitentiæ fructibus *legitimam*
„ *communionem* cum reconciliatoria manus
„ impoſitione, quæ ſolenniter fiebat ab Epiſco-
„ po recipiant. „ Concil. CARTHAGINENSE
IV. Can. LXXVI. „ Qui pœnitentiam in infir-
„ mitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacer-
„ dos invitatus venit, oppreſſus infirmitate
„ obmutuerit - - - dent teſtimonium, qui
„ eum audierunt, & accipiat pœnitentiam,
„ (en! impoſitionem pœnitentiæ,) & ſi
„ continuo creditur moriturus, reconcilietur
„ per manus impoſitionem, (en! abſolutio-
„ nem Sacramentalem) & ori ejus infunda-
„ tur Eucharistia „ en! ſacram communio-
nem. Denique ſciendum quosdam, in pœ-
nitentia ante abſolutionem defunctos, poſt
mortem Eccleſiæ communioni fuiſſe reſtitu-
tos, quod de Eucharistia certe exponi non
poteſt. Sic Concilium VASENSE II. Can. II.
„ Horum qui pœnitentia accepta in bonæ vi-
„ tæ curſu ſatisfactoria compunctione viven-
„ tes

„ tes ſine communione inopinato non nun-
„ quam tranſitu in agris aut itineribus præ-
„ veniuntur, oblationem recipiendam, & eo-
„ rum funera ac deinceps memoriam Eccle-
„ ſiaſtico affectu proſequendam; quia nefas
„ eſt eorum commemorationes excludi a ſalu-
„ taribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli af-
„ fectu contendentes - - *abſque* Sacramen-
„ torum viatico intercipiuntur, quibus fortaſ-
„ ſe nec Sacerdos *abſolutiſſimam abſolutionem*
„ denegandam putaſſet. „

390 Sunt tamen etiam hodie caſus, ubi Sacramentalis abſolutio vel omnino deneganda, aut ſaltem differenda eſt. 1. Illis, de quorum ſufficiente diſpoſitione merito dubitatur, vel defectu doloris, vel efficacis propoſiti emendationis, reſtitutionis &c. 2. Qui ſunt in peccandi diuturna conſuetudine. 3. Qui præſcriptis remediis aut ſatisfactionibus uti nolunt. 4. Qui in notorio peccato ſubito obmuteſcunt, nullo edito doloris ſigno. v. g. qui in duello ſuccumbunt. De quibus legantur theologi morales.

391 Objic. contra III. Reſolutionem. Tertullianus de pudicit. cap. I. tanquam novitatem refert, quod Zephirinus Romanus Pontifex mæchis concedat veniam, quam negaret tamen idololatris, & homicidis: ergo antea in Eccleſia Romana crimina canonica non remittebantur.

II. S. Cyprianus lapſis in perſecutione ægerrime veniam tandem conceſſit, fateturque,

ſe

ſe de *Evangelii rigore quiddam remiſiſſe*: ergo antea idololatris nulla fuit conceſſa venia in Eccleſia Africana.

Respond. ad I. Tertullianus reſpexit ad conſuetudinem quarumdam Eccleſiarum in Africa, quæ criminibus canonicis in totum pœnitentiæ locum clauſerunt, ut teſtatur Cyprianus n. 388. citatus: & comparate ad hanc Zephirini decretum arguit novitatis. Vel dici poteſt, eum non loqui de Præſule Romano; nec enim eum appellat: ſed tantum dicit: *Epiſcopus Epiſcoporum, Pontifex ſcilicet maximus* &c. Digitum ergo intendit in Epiſcopum quemdam Africæ, qui contra morem aliarum Eccleſiarum illius provinciæ mæchis conceſſit veniam, quam cæteri negabant Epiſcopi. Et hinc eum vocat *Epiſcopum Epiſcoporum*. Aut arguit de eo, quod Zephirinus brevius pœnitentiæ tempus mæchis præſtituerit, longiore cæteris criminibus reſervato.

Ad II. Lapſi in perſecutione absque omni, vel non legitima pœnitentia, volebant communioni Eccleſiæ reſtitui, maxime propter Martyrum libellos: hos quidem Cyprianus ſine diuturna & conſueta pœnitentia nolebat in Eccleſiam recipere; verum & Martyrum interceſſione, & ipſa multitudine lapſorum victus, conſenſit tandem; ut libellatici ſtatim ad pœnitentiam admitterentur, quod olim tardius iis concedebatur: ſacrificatis autem ſaltem in exitu ſubveniretur: pluribus autem

autem pœnitentibus intuitu martyrum aliquid de ordinario curſu & laboribus indulgeretur. Atque hoc vocat *remiſſionem de Evangelii rigore.* Fuit ergo quædam novitas quoad veniæ *facilitatem* comparate ad priora tempora: non vero quoad veniæ *conceſſionem*, quaſi hæc antea canonicis criminibus denegata fuiſſet.

§. III.

An abſolutio Sacramentalis olim conceſſa fuerit ante expletam ſatisfactionem.

392 Hæc controverſia priori cohæret, & negative a viris doctiſſimis deciditur: quin tamen inde ſequatur, Eccleſiam fuiſſe perſuaſam, pœnitentes interea facile juſtificari per veram contritionem cum voto Sacramenti, aut quemlibet actum charitatis Dei ſuper omnia infallibiliter juſtificare, quod præpoſtere infert D. Amort. Tom. XIV. Theol. p. m. 188. Acerbior eſt cenſura Clar. P. Biner in *apparatu* P. IV. pag. 40. in gallorum doctiſſimos, qui præſentem quæſtionem expendens ait: „ ferendum non putamus, homines, qui „ catholico nomine gloriantur, hæreticorum „ inſtar, ut novitate doctrinæ curioſitatem „ demulceant, antiquiſſimos Eccleſiæ ritus „ novitatis poſtulare, etiam tunc, quando „ nulla illis pro ſua ſuppetunt certa antiqui„ tatis monumenta, ſed mera novandi libido

accen-

„ accendit, ut aliquas Patrum, ambiguas „ sæpe, imo contrarias sententias in sensus „ suos detorqueant. „ Parcius ista viris! scimus contrariam nunc esse Ecclesiæ consuetudinem, suis quoque rationibus nixam: nec sentimus cum Quesnellianis, qui morem Ecclesiæ hodiernum, præmittendo absolutionem satisfactioni, damnant. Quæstio facti est, quæ olim fuerlt Ecclesiæ disciplina? suis non minus rationibus suffulta. Opponam Binero vel unum Maldonatum & ipsum Jesuitam, qui lib. II. de Sacrament. cap. 2. pronuntiat: „ Qui ignorat, ad finem pœnitentiæ datam „ esse absolutionem Sacramentalem, ignorat „ totam antiquitatem. „ Sit ergo

Resolutio I. Prioribus sex Ecclesiæ 393
sæculis ordinarie peccatoribus criminum canonicorum reis, & ad publicam pœnitentiam redactis absolutio *ordinarie* non fuit concessa ante expletam satisfactionem.

Dixi, *ordinarie;* datur enim exceptio. Nam 1. in mortis Articulo, aut ubi pœnitentis salus versabatur in discrimine. 2. Dum metus erat, ne ad hæreticos aut gentiles transfugerent Christiani canonicorum criminum rei. 3. Imminente persecutione. 4. Ob martyrum libellos. 5. Ob factum quoddam lapsorum heroicum. 6. Ob periculum schismatis. 7. Aut ob ingens Ecclesiæ bonum, absolutio aliquoties concedi consuevit ante expletam satisfactionem: quas quidem exceptiones per totidem propositiones probat

Natal. ALEXANDER Dissertat. IX. ad saeculum III. igitur de lege ordinaria

394 *Prob. I.* Ex controversia, quae Ecclesiae cum Montanistis & Novatianis intercessit, eruitur, Catholicos in eo tantum ab haereticis dissensisse; quod utrique post criminum confessionem imponerent poenitentiae labores: Catholici autem post peractam satisfactionem concederent veniam, quam tunc quoque negabant haeretici. Sic Catholici apud TERTULLIANUM de pudicit: cap. 3. queruntur: *frustra agi poenitentiam, si caret venia.* Et S. AMBROSIUS lib. I. de poenit. 16. contra Novatianos: *frustra dicitis vos praedicare poenitentiam, qui tollitis fructum poenitentiae*, nempe absolutionem. & lib. II. cap. 3. „ Nonne advertitis - - - quod emerendi gratia Sacramenti ad precandum impellimus: & hoc auferre vultis, propter quod agitur poenitentia. „ Ex quo loco manifeste sequitur, gratiam Sacramenti non nisi post labores poenitentiae peractos concessam fuisse.

395 *Prob. II.* In controversia CYPRIANI cum lapsis hoc improbabat S. Praesul, quod lapsi ante actam satisfactionem veniam postularent Epist. X. „ Nam cum in minoribus (comparate ad Idololatriam) peccatis agant peccatores poenitentiam justo tempore, & secundum disciplinae ordinem ad exhomologesin (publicam poenitentiam) veniant, & per manus impositionem Episcopi & cleri jus communicationis accipiant; nunc - - - ad

„ ad communicationem admittuntur, & of-
„ fertur nomen eorum *nondum pœnitentia a-*
„ *cta* . . . nondum manu eis ab Epiſcopo &
„ clero impoſita Evchariſtia illis datur. „ E-
„ piſt. LIX. legimus litteras tuas, frater cha-
„ riſſime, de victore quodam Presbytero, quod
„ ei, *antequam pœnitentiam plenam egiſſet*, &
„ Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfe-
„ ciſſet„ temere Therapius collega noſter im-
„ maturo tempore, & præpropera feſtinatio-
„ ne pacem dederit. Quæ res nos ſatis mo-
„ vit, receſſum eſſe a decreti noſtri auctoritate,
„ ut *ante legitimum & plenum tempus ſatis-*
„ *factionis* ſine petitu, & conſcientia plebis
„ nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate co-
„ gente pax ei concederetur. „

Prob. III. Ex decretis Romanorum Pon- 395
tificum. Zephyrinus apud Tertullian.
de pudicit. cap. 1. decreviſſe dicitur: „ Ego
„ & mæchiæ & fornicationis delicta *pœni-*
tentia functis dimitto. „ Innocentius I. E-
piſt. I. cap. 7. „ De pœnitentibus vero, qui ſi-
„ ve ex gravioribus commiſſis ſive ex leviori-
„ bus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interve-
„ niat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis
„ remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetu-
„ do demonſtrat. Cæterum de pondere æ-
„ ſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare,
„ ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, &
„ ad fletus atque lacrymas corrigentis, *ac*
„ *tunc jubere dimitti, cum viderit congruam ſatis-*
„ *factionem.*

SIRICIUS Epiſt. I. cap. 3. „ Si reſipiſcentes „ forte aliquando fuerint ad lamenta converſi, his, quamdiu vivunt, pœnitentia agenda „ eſt, & in ultimo fine ſuo reconciliationis „ gratia tribuenda. „

LEO Magnus Epiſt. CVIII. ad Theodorum „ Epiſcopum Forojulienſ. „ Mediator Dei & „ hominum Chriſtus JEſus hanc præpoſitis „ Eccleſiæ tradidit poteſtatem; ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & „ eosdem *ſalubri ſatisfactione purgatos* ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent. „ Hic evidens eſt, poſt confeſſionem non ſtatim abſolvi pœnitentes, ſed imponi tantum pœnitentiam, qua expleta ſequitur reconciliatio. Denique PACIANUS Epiſt. I. ad Sempron. „ Scio frater, „ hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim „ omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari, magno pondere, magnoque libramine, *poſt* multos gemitus, effuſionemque lacrymarum, *poſt* totius Eccleſiæ preces ita veniam veræ pœnitentiæ „ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet. „

397 RESPONDET ad hæc omnia D. AMORT cum aliis: duplicem olim uſitatam fuiſſe abſolutionem: primam *ſacramentalem*, quæ ſtatim poſt confeſſionem cum impoſitione pœnitentiæ a Presbytero dabatur. Alteram *indulgentialem*,

ab

ab Epiſcopo poſt peractam ſatisfactionem concedi ſolitam. Sed

Contra eſt I. loquuntur Patres de illa 398
abſolutione, quam negabant Montaniſtæ & Novatiani, etiam poſt peractam ſatisfactionem; atqui hi negabant *ſacramentalem*. Ergo &c.

II. Loquuntur de illa abſolutione, qua non conceſſa, *fruſtra* agitur pœnitentia; atqui hæc abſolutio eſt ſacramentalis. Ergo &c.

III. Illa abſolutio vocatur *venia*, & dicitur *vim* habere *reconciliandi* cum Deo: atqui hæc eſt ſacramentalis.

IV. Injungebant pœnitentiam ad culpam delendam, & extinguendam gehennam: ergo ante peractam ſatisfactionem culpa quoad reatum nondum erat dimiſſa, conſequenter prima manus impoſitio non erat ſacramentalis abſolutio.

V. Rationes, quas allegant Patres pro abſolutione poſt ſatisfactionem differenda, probant, eos loqui de ſacramentali, veraque remiſſione peccati quoad reatum culpæ. Nam 1. ratio Cypriani ſerm. de lapſis eſt, quia Deus non tam cito gratiam ſuam reſtituit. „ Putasne, ait, Deum cito poſſe placari, putas facile eum miſereri tui? orare oportet impenſius, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere &c. „ Atqui gratiam reſtituit abſolutio ſacramentalis. 2. Quod non modico temporis tractu fiat vera ad Deum

conversio. Hæc est ratio AUGUSTINI tract. 5. in Epist. Joan. & Auctoris lib. II. de vocat. gentium. 3. Ejusdem CYPRIANI loc. cit. quia vulnera animæ brevi tempore non obducuntur. 4. AMBROSII, quod pœnitentia vera sit admodum rara. 5. Quod in hoc negotio homo sæpe se ipsum fallat. Ita GREGORIUS Magnus.

399 *Prob. IV.* Et enervatur interjecta responsio D. AMORTI. Patres & concilia statuunt, ut tantum in necessitate detur morituris reconciliatio, & sacra communio, quamvis jam antea pœnitentiam inchoassent: atqui illa reconciliatio non erat indulgentialis; quia *si* supervixerunt, debebant ad pristinam suam stationem regredi, ergo in impositione pœnitentiæ non absolvebantur *sacramentaliter*. Vid. can. 3. Concil. Arausican. I. can. LXXVI. Concil. Carthag. IV. supra num. 389. & can. LXXVIII. ejusdem. „ Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Evcharistiæ acceperint, „ non se credant absolutos (indulgentialiter) „ sine manus impositione, si supervixerint. „ Ex quo Canone colligo, absolutionem sacramentalem, de lege ordinaria extra necessitatem, fuisse conjunctam cum indulgentiali post satisfactionem expletam dari solita; si enim omnes in impositione pœnitentiæ statim sacramentaliter absoluti fuissent, & ad finem tantum *indulgentialiter;* tunc mos iste pœnitentibus perspectus fuisset, nec debuissent moneri, ne sibi persuadeant, se in infirmitate fuisse indulgentialiter absolutos. Dein hæc ipsa exceptio,

ceptio, quod morituris ante expletam ſatisfactionem debeat impendi abſolutio ſacramentalis, firmat regulam ordinariam, abſolutionem ſacramentalem ſanis ante ſatisfactionem conceſſam non fuiſſe.

Prob. V. Impoſitio manus, ab initio pœnitentiæ conceſſa, quam D. Amort dicit fuiſſe ſacramentalem abſolutionem, juxta canones crebro iterari debebat durante ſtatione ſubſtrationis, & quidem non ab illo tantum Presbytero, cui facta fuerat confeſſio ſacramentalis, ſed ab aliis quoque. Atqui nulla eſt mentio, quod illas impoſitiones etiam ſemper præceſſerit confeſſio repetita, ſine qua crimen etiam ſemel dimiſſum non poteſt denuo ſacramentaliter abſolvi: ergo nec prima nec reliquæ manus impoſitiones erant abſolutio ſacramentalis, quod tamen intendunt Adverſarii. Imo impoſitio illa fiebat non tantum ab Epiſcopo, & Presbytero, ſed generatim a *Clero*, ut conſtat e Cypriano n. 395. cit. 400

Prob. VI. In non nullis Eccleſiis, ut Romana, cum iis, qui pœnitentia accepta, ſed nondum expleta, obierunt, non communicabatur poſt mortem: ergo ſupponebatur, eos per impoſitionem manus, cum pœnitentia conceſſa, non fuiſſe ſacramentaliter abſolutos; quæ enim alias fuiſſet ratio, pro iis non orandi poſt mortem. *Anteced.* evidenter conſtat ex S. Leone Magno Epiſt. 167. ubi ad inquiſitionem octavam de his, qui jam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante commu- 401

nionem moriuntur, respondet: „ Horum „ causa Dei judicio reservanda est, in cujus „ manu fuit, ut talium obitus usque ad com„ munionis remedium differretur. Nos au„ tem, quibus viventibus non communicavi„ mus, mortuis communicare non possumus. „ Et Epist. 108. ad Theodorum ForoJuliens. „ Si „ aliquis eorum, pro quibus domino suppli„ camus, quocunque interceptus obstaculo, „ a munere indulgentiæ præsentis exciderit, „ & priusquam ad constituta remedia perve„ niat, temporalem vitam humana conditione „ finierit: quod manens in corpore non re„ cepit, consequi exutus carne non poterit. „ Hic locus intelligi non potest de absolutione *indulgentiali*, vel ab *excommunicatione;* utraque enim posset defunctis concedi: ergo sermo est de absolutione *sacramentali*; nisi forte quis dicere velit, LEONEM loqui de communione Evcharistica, mortuis dari prohibita.

402 Sed præterquam, quod in pluribus locis aliquando consuetudo fuerit, mortuis dandi Evcharistiam, ut constat ex facto S. P. BENEDICTI apud S. GREGORIUM M. Dialog. II. 23. sola carentia Evcharistæ non erat ratio, ut cum pœnitentibus defunctis communicare noluerit Romanus Pontifex. Equidem in aliis Ecclesiis aliter fuisse observatum, non ignoro; ut constat ex Concilio VASENSI supra num. 389. & TOLETANO XI. Can. XII. & cum taliter defunctis post mortem communicatum fuisse; id tamen factum haud fuit ex persuasione, tanquam in pœnitentiæ impositione fuissent

ſent ſacramentaliter abſoluti; ſed quia præſumebant Patres, eos ob ardorem pœnitentiæ inchoatæ, & ob votum ſacramenti, cum Deo extra ſacramentum per veram contritionem, ſicque etiam cum Eccleſia pro foro *interno* reconciliatos fuiſſe.

Prob. VII. Eadem videtur ratio, dene- 403
gandi abſolutionem, ſeu ſacramentum pœnitentiæ, quæ eſt, denegandi Evchariſtiam; atqui hæc certe negabatur ante peractam totam ſatisfactionem; cum quartus gradus conſiſtentiæ prævie in privatione Evchariſtiæ ſitus eſſet. Ergo &c.

Resolutio II. Illis ſæculis abſolutio 404
ſacramentalis concedebatur poſt gradus conſiſtentiæ.

Prob. Juxta S. Cyprianum Evchariſtia erat conjuncta cum abſolutione ſacramentali. Atqui Evchariſtia non dabatur niſi poſt expletum gradum conſiſtentiæ. Idem patet ex S. Ambrosio lib. II. de pœnit. cap. 3. „ Sicut „ ergo pro omnibus immolatus eſt, ita, quo„ tiescunque peccata donantur, corporis e„ jus ſacramentum ſumimus; ut per ſangui„ nem ejus fiat remiſſio peccatorum. Ergo e„ videntiſſime mandatum eſt, etiam graviſſi„ mi criminis reis, ſi ex toto corde & manife„ ſta confeſſione peccati pœnitentiam gerant, „ ſacramenti cœleſtis refundendam eſſe gra„ tiam. „ Ex utroque textu prior reſolutio clare ſtabilitur.

405 Resolutio III. a ſæculo VIII. Abſolutio poſt aliquot annorum ſpatium ante totam expletam pœnitentiam concedi conſuevit.

Prob. Ecbertus Eboracenſis Can. XXXIX. „ Pœnitentes, ait, ſecundum canones non debent communicare ante conſummationem „ pœnitentiæ: Nos autem pro miſericordia „ miſerantis Dei poſt annum, vel duos, vel „ tres, licentiam damus. „ Nicolaus I. Epiſt. XXIV. communionem permittit homicidæ, cui 12. annorum pœnitentiam inflixerat, ut poſt 5. annos priores Evchariſtiam identidem percipere poſſet. Ita quoque Concilium Wormatiense Can. XX.

406 Resolutio IV. Diſciplina hodiernæ Eccleſiæ obtinet, ut vere pœnitentibus, ac *debite* diſpoſitis, abſolutio ſacramentalis concedatur ante expletam ſatisfactionem.

Id conſtat ex praxi quotidiana, & propoſitionibus XVI. XVII. XVIII. ab Alexandro VIII. anno 1690. damnatis. Item Quesnellianis LXXXVII. LXXXVIII. quorum errorem in Petro de Osma jam prævie damnaverat Sixtus IV. P. M.

407 Contra Reſolut. I. plurima congeſſit argumenta celeberrimus, ac de republica litteraria meritiſſimus D. Amort: quæ modeſte conabor diſſolvere. Igitur

Objic. I. Pœnitentes ſemper fuerunt ſtatim ſacramentaliter abſoluti in ipſa ſuſceptione pœnitentiæ, quod *prob.* In receptione pœniten-

nitentium ad ſatisfactionem canonicam ipſo facto exercebatur poteſtas clavium. Ergo eoipſo conferebatur abſolutio ſacramentalis.

Resp. diſting. *Antec.* exercebatur poteſtas clavium, in ordine ad *ligandum* pœnitentem ad opera ſatisfactoria, quibus peractis erat ſacramentaliter abſolvendus, *conc.* in ordine ad ſtatim abſolvendum ante expletam ſatisfactionem, *nego.*

Objic. II. Cuilibet impoſitioni manus 408
ſacerdotalis ſuper pœnitentem, cum primæ in ejus receptione, tum intermediæ durante pœnitentiæ ſtadio frequenter repetitæ in capitularibus Caroli M. V. 62. 63. adſcribitur remiſſio peccatorum: ergo ſignum eſt, quamlibet fuiſſe ſacramentalem ac abſolutoriam. *Anteced.* prob.

Capitular. V. 63. ſtatuitur: „ Secundum „ formam canonum dentur pœnitentibus pœ„ nitentiæ, & prius eos a communione ſu„ ſpenſos ad Officium Eccleſiæ excubare fa„ ciant, & inter reliquos pœnitentes ad ma„ nus impoſitionem frequenter recurrere. Ex„ pleto autem tempore ſatisfactionis ſacerdo„ tali prece per manus impoſitionem recon„ cilient pœnitentes. „

Respond. *Diſt. Ant.* promittitur remiſſio peccatorum *inchoata,* & ex *opere operantis,* ſeu ex *interceſſione* Sacerdotis, qua Pœnitenti imprecabatur verum ſpiritum pœnitentiæ, *conc.* *completa,* & ex *opere operato, nego.* Per impoſitio-

ſitionem manuum primam & ſubſequentes peccatores præparabantur ad pœnitentiam pro ipſo reatu culpæ agendam: inſuper & explorabantur, an verum haberent animum emendandi, Deoque pro viribus ſatisfaciendi. Cæterum ex ipſis Capitularium verbis colligitur, non niſi *expleto tempore ſatitſactionis RECONCILIATIONEM*, ſeu abſolutionem ſacramentalem conceſſam fuiſſe.

409 OBJIC. III. In prima pœnitentium receptione, & ultima eorum reconciliatione eadem cum manuum impoſitione uſurpata fuit formula, ut patet ex conſenſu omnium pœnitentialium: ergo cum alterutra ſit *ſacramentalis*, rectius id ſupponitur de prima, quæ erat conjuncta cum confeſſione ſacramentali, quam de ultima, quæ fiebat ab Epiſcopo, qui non audierat pœnitentium confeſſiones.

RESP. *Diſt. Ant.* eadem uſurpata fuit formula, ſed diverſa cum intentione, *conc.* eadem intentione, *nego.* in *prima* Sacerdos confeſſionem excipiens, & pœnitentiam injungens precabatur a Deo ſpiritum veræ compunctionis: in *ultima* autem per formulam deprecatoriam abſolvebat ſacramentaliter. nego etiam *conſeq.* & ſuppoſitum, quod Epiſcopus ultimo *ſacramentaliter* abſolverit non audita pœnitentium confeſſione; cum enim hoc loco ſermo ſit de peccatis canonicis, quæ aut notoria erant notorietate facti, aut Epiſcopo denuntiata, aut publica confeſſione, quæ ante recon-

reconciliationem repetebatur, manifeſtata; hinc ſequitur, Epiſcopum non ſine confeſſione percepta pœnitentes abſolviſſe. Quodſi autem peccata omnino fuiſſent ſecreta, & publica tamen iis inflicta fuiſſet pœnitentia, tunc præſumendum eſt, pœnitentes reconciliandos ante abſolutionem Epiſcopo fuiſſe confeſſos, ac deinceps abſolutos: ut colligi poteſt ex Pœnitentiali Tholoſano, ab ipſomet Cl. D. Amort argumento 28. in rem ſuam allegato, ubi ſic lego: „ Pontifex . . . audita ratione „ ſingulorum (pœnitentium) qualiter & quomodo quisque pro admiſſis pœnituit, *diſcernit ſubtiliter culparum modum* &c. „

Objic. IV. Si prima impoſitio manuum in receptione pœnitentium non fuiſſet ſacramentalis, tunc non fuiſſet locus pro uſu clavium: atqui ſemper fuit requiſitum miniſterium Sacerdotum, quibus ſolis competit poteſtas clavium. Ergo &c. 410

Resp. nego *ſequel. Maj.* Neceſſarium enim fuit miniſterium Sacerdotis tum ad excipiendam confeſſionem ſacramentalem, tum ad imponendam ſatisfactionem, quæ ipſa eſt uſus clavium in ordine ad *ligandum*, & cum tempore, poſt expletam ſatisfactionem *abſolvendum.*

Objic. V. Quando Chriſtiani obruebantur repentino mortis articulo, illi, qui non fuerant recepti in ordinem pœnitentium, credebant, ſibi ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut in ordinem pœnitentium reciperentur. Econtra 411

tra alii, jam in ordine pœnitentium conſtituti, in tali mortis diſcrimine petebant *reconciliationem:* ergo receptio in ordinem pœnitentium jam erat ſacramentalis, quia alioquin non fuiſſet ſufficiens ad ſalutem.

Resp. Chriſtiani in ſubitaneo periculo mortis conſtituti, & nondum in ordinem pœnitentium recepti flagitabant pœnitentiam, & in his circumſtantiis extraordinarie, ſaltem in præcipuis Eccleſiis n. 387. & in omnibus a Sæculo IV. una cum impoſitione pœnitentiæ, ſi convaluiſſent, perſolvendæ, ſtatim abſolutionem *ſacramentalem* obtinebant: qui autem jam ante infirmitatem in ordine pœnitentium erant conſtituti, reconciliationem ſacramentalem, ſimul & indulgentialem, cum ſacro *viatico* expetebant. *Diſt. conſeq.* ergo receptio in ordinem pœnitentium jam erat ſacramentalis, id eſt, ad ſacramentalem abſolutionem ſuo tempore conferendam ordinata, *conc.* erat ipſa abſolutio ſacramentalis, *neg.* ſubdiſt. aliquando, & a Sæculo IV. *conc.* antea, *nego.*

412 Objic. VI. In prima impoſitione manus Sacerdos pro pœnitentibus petebat remiſſionem peccatorum: abſurdum autem fuiſſet hanc a Deo petere, & nolle eam conferre miniſterialiter. *Ergo.*

Resp. *Diſt. Ant.* petebat remiſſionem vel a Deo *immediate* & extra ſacramentum intuitu fervoris impetrandam, vel *poſt ſatiſfactionem* per uſum clavium concedendam, *conc.* cum intentione *ſtatim* conferendi ſacramentalem abſolutionem

tionem, *neg.* Neque hæc eſt abſurda petitio; utique enim in impoſitionibus manuum intermediis eadem repetebatur formula deprecatoria, quæ in ſententia adverſa non potuit eſſe conjuncta cum intentione *ſacramentaliter* abſolvendi, ſi pœnitentes in ipſa receptione jam fuerunt ſacramentaliter abſoluti, ut illi ſupponunt.

Objic. VII. Preces in prima manuum impoſitione recitari ſolitæ appellantur *abſolutio*, eædemque fiebant ſuper infirmos, quæ ſupra pœnitentes ſanos: atqui illa fuit ſacramentalis. Ergo & hæc: conſequenter prima jam erat ſacramentalis. 413

Resp. *Diſt. Ant.* appellantur abſolutio, *inchoata*, & ad ſacramentalem ſuo tempore concedendam ordinata: *conc.* abſolutio ſacramentalis perfecta, ſtatim conceſſa, *nego.* Item dicebantur eædem preces ſupra morituros, cum intentione hos *ſtatim* abſolvendi, *conc.* etiam ſanos ante peractam ſatisfactionem ſtatim abſolvendi, *nego.*

Objic. VII. In Eccleſia Græca, ſaltem a tempore Nectarii Patriarchæ C P. atque adeo ante Schiſma Photii, ſacramentalis abſolutio ſtatim poſt confeſſionem, ante peractam ſatisfactionem concedi ſolebat: ergo cum nulla unquam alicujus differentiæ quoad diſciplinam adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ inter utramque Eccleſiam mentio facta fuerit, ſequitur, eamdem etiam Eccleſiæ Latinæ ſemper fuiſſe conſuetudinem. *ant.* prob. verbis 414

Sozo-

Sozomeni, qui lib. VII. cap. 16. de Presbytero Pœnitentiario ſcribit: „ Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere ſingulos, aut „ luere oporteret, pœnæ loco indicens, abſolvebat pœnitentes, a ſe ipſis pœnas criminum exacturos εισπαραξομενους „ ut legit Valeſius. pag. m. 275. not. c.

Resp. nego. ant. Sozomenus autem ex mente Petavii ita intelligi & explicari debet: *poſtquam* pœnas ſcelerum a ſe ipſi exegiſſent; ita ut ſit aoriſtus primus, non futurum primum: en ipſa verba græca. ἀπέλυε, παρὰ σφῶν αὐτῶν τὴν δίκην εἰσπαραξαμένους.

415 Objic. VIII. Abſolutio, quæ fiebat *ab* Epiſcopo in cœna Domini, dicebatur *abſolutiſſima:* ergo alia ſimplex & ſacramentalis præceſſit, & illa ultima ſolum erat ceremonialis aut indulgentialis, ſeu canonica ab excommunicatione.

Resp. nego *conſeq.* Neque enim veroſimile eſt, Eccleſiam Veterem tantum apparatum quatuor ſtationum, & tot annorum laborioſa opera præmittere voluiſſe impoſitioni manuum ſolum *ceremoniali.* dicebatur itaque *abſolutiſſima;* quia non ſolum erat *ſacramentalis,* ſed quandoque ſimul indulgentialis, & plenum jus communionis Eccleſiaſticæ, & Sacramentorum tribuebat: cum prima & intermediæ ſolum fuerint deprecatoriæ pro impetrando vero ſpiritu pœnitentiæ. Vid. dicta n. 389.

Objic.

Objic. IX. Qui durante pœnitentiæ ſtatu ante ultimam reconciliationem ſubito ex hac vita diſceſſerant, reputabantur pro juſtificatis; quia oblationes pro iis fuerunt admisſæ, & preces peractæ: ergo cenſebantur jam ſacramentaliter abſoluti in prima manuum impoſitione. 416

Resp. Diſt. *Ant.* reputabantur pro juſtificatis, ex opere operantis per contritionem perfectam cum voto ſacramenti conjunctam, *conc.* tanquam jam prius fuiſſent per abſolutionem ſacramentalem juſtificati, *nego.* Imo Leo Magnus cum talibus defunctis nolebat communicare. n. 401.

Objic. X. SS. Patres univerſim dicunt, peccata ſolvi in prima manus impoſitione. Ergo ſupponunt, pœnitentes tunc ſacramentaliter abſolvi. 417

Resp. Diſt. *ant.* dicunt peccata ſolvi, quoad *affectum, conc.* quoad effectum & reatum: *ſubdiſt. inchoative, conc. complete, nego.*

Objic. XI. Si publice pœnitentes non ſtatim in ipſa receptione ſacramentaliter fuisſent abſoluti, tunc inter hos, & privatam pœnitentiam agentes nimis magnum fuiſſet discrimen ob crimina ſæpe non multum diverſa; illi enim debuiſſent pluribus annis exſpectare abſolutionem, quam iſti ſtatim recipiebant: ſed hoc videtur inconveniens. Ergo &c. 418

Resp. I. Nego ſuppoſitum, quod privatim pœnitentes *ſtatim* fuerint ſacramentaliter

absoluti; cum enim quodlibet grave crimen punitum fuerit quarta statione poenitentium, n. 283. seq. hinc sequitur, eos non nisi post consistentiam, quæ & ipsa per plures annos durare poterat, absolutos fuisse. Vid. n. 395.

Resp. II. Nego *min.* fuit enim ejusmodi discrimen, quale est inter peccata reservata & non reservata: quod non est inconveniens.

419 Objic. XII. Cum poenitentia publica *semel* tantum in vita agi potuerit, illi qui post peractam poenitentiam in grave aliquod crimen denuo fuissent prolapsi, nullum amplius remedium sacramentale usque ad obitum habuissent: atqui hoc non est sentiendum de voluntate Christi, & benignitate Matris Ecclesiæ, qui in usum peccatorum poenitentium hoc Sacramentum instituit. Ergo &c.

Resp. Nego *sequel. Maj.* in promptu enim illis erat poenitentia privata, saltem in præcipuis Ecclesiis, ex num. 305. qui autem durante cursu poenitentiæ novum crimen commiserat, illud confiteri debebat, & tunc non raro ex superiore, quem attigerat gradu ad inferiorem redigebatur, & post expletam satisfactionem ab omnibus simul absolvebatur.

420 Objic. XIII. Patres sæpe testantur, peccatori vere poenitenti statim dimitti peccata, eumque justificari. Ergo illi Ecclesia absolutionem tamdiu differre convenienter non potuit.

Resp.

Resp. Dist. *ant.* dicunt eum justificari, *aliquando*, intuitu fervoris charitatis, *conc. ordinarie*, *nego.* ista autem contritionis perfectae intensio cum non semper fuerit perspecta Sacerdoti; hinc *ordinarie* statim absolvere non poterat, obstante Ecclesiæ disciplina.

Objic. XIV. Hæretici ad Ecclesiam reversi statim reconciliabantur, quamvis hæresis sit maximum crimen: ergo idem dicendum de aliis peccatoribus. 421

Resp. Nego *ant.* de primis Sæculis intellectum. a Sæculo IV. admittebantur quidem in hæresi nati, quia præsumebantur vel solum *materiales*, aut quod ob præjudicia nativitatis, educationis non tam graviter deliquerint. Hæretici autem formales, & ab Ecclesia apostatæ non sine poenitentia publica admissi, nec ante expletam satisfactionem *ordinarie* absoluti fuerunt. ex n. 303.

Objic. XV. Si prima manus impositio non fuisset sacramentalis, tunc opus non fuisset frequenti ejusdem repetitione: atqui durante cursu poenitentiæ maxime vero in statione substratorum fuit sæpe repetita. Ergo. 422

Resp. Nego *seq. Maj.* & potius inverto argumentum. Si prima fuisset sacramentalis, non debuisset toties iterari; cum non sit vero simile, *toties* iteratam fuisse confessionem: sine qua concedi non potest sacramentalis absolutio. Quia vero in prima impositione Sacerdos solum petebat a Deo spiritum veræ

 poeni-

pœnitentiæ, ideo congruum erat, illas preces frequenter ſuper pœnitentes fundere.

423 OBJIC. XVI. In reconciliatione ultima Pœnitentes ſolum conſequebantur majorem perfectionem. Sic in concilio TRIBURIENSI dicitur: „ Pœnitens reconcilietur, & ſanctæ „ Communioni reſtituatur, & perfectionem „ conſequatur. „ Ergo ſupponitur, eos jam prius obtinuiſſe gratiam.

RESP. Cum Eccleſiaſticæ antiquitatis vel tantulum peritis compertum ſit, *perfectionis* nomine intelligi Euchariſtiam, ut vel ex adducto textu patet., hinc miror, Virum tantæ eruditionis id non vidiſſe. ut autem ſua huic aſſerto conſtet veritas, omiſſis innumeris locis adduco ſolum can. IV. Concil. ANCYRANI: „ Placuit, eos inter audientes uno anno con- „ ſtitui, ſuccumbere vero tribus annis, in o- „ ratione autem communicare biennio (inter „ conſiſtentes ſine communione Euchariſtiæ) „ & tunc ad *perfectionis* gratiam pervenire.„ Evidens eſt, de Euchariſtia hic ſermonem eſſe, non niſi poſt expletum conſiſtentiæ gradum concedi ſolita.

424 OBJIC. XVII. Si pœnitentes in ipſa receptione non ſtatim fuiſſent *ſacramentaliter* abſoluti, tunc omnia opera injuncta in ſtatu peccati, adeoque ſine merito peragere debuiſſent: atqui hoc non eſt ſentiendum de benignitate Matris Eccleſiæ. *Ergo* &c.

RESP. I. *Retorqu.* Secundum veterem Eccleſiæ diſciplinam Catechumeni iisdem fere labo-

laboribus exerceri ſolebant, nulla habita ratione meriti, ſed ſola reverentia Sacramenti conſiderata, ad quam digne & cum fructu recipiendum præparabantur. Sed & hodie quibusdam peccatoribus differenda eſt abſolutio, quamvis media præſcripta interim ſine merito peragere debeant.

Resp. II. Cum Eccleſia ſibi perſuaſum habuerit, pro ipſo reatu culpæ agendam eſſe pœnitentiam, idque etiam a peccatore fieri poſſe n. 396. hinc inutilia haud reputabat vere pœnitentium opera, ſaltem ad impetrandam gratiam veræ pœnitentiæ & veniæ ſuo tempore conſequendæ. Quodſi interea per intenſionem perfectæ contritionis ex opere operantis juſtificati fuiſſent, nihil ipſis de merito decedebat: Cæteris autem in ipſa Juſtificatione ſacramentali ob charitatis & pœnitentiæ fervorem meritorum defectus compenſari poterat.

Resp. III. Eccleſia non tam attendebat ad meritum pœnitentis, quam ad gravitatem offenſæ divinæ, rigorem diſciplinæ, & reverentiam Sacramenti; ut pro illa ſatisfieret, ne iſta enervata major fieret peccandi licentia, & ut propter hanc major haberetur æſtimatio Sacramenti; cum pœnitentes ſcirent, illud tam difficulter obtineri. Ideo etiam Patres antiqui, dum alloquuntur Catechumenos, ſecundam poſt baptiſmum pœnitentiam pia quadam fraude diſſimulant, ut illi majore ſtudio innocentiam baptiſmalem conſervarent, nec

ſpe remedii peccato tam facile conſentirent. Sicut ergo Eccleſia, nemine negante, olim jus habuit Baptiſmum diutius differendi: ſic etiam jus habuit abſolutionem ſacramentalem differendi: quamvis modo contraria vigeat conſuetudo, quam Catholicorum nemo impugnat: modo non omnibus, absque diſcrimine, maxime vero conſuetudinariis tam cito impendatur, ſicque ſanctum canibus detur, & margarita projiciatur ante porcos.

CAPUT VII.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ, EJUSQUE QUALITATIBUS, ET OBLIGATIONIBUS.

Cum Miniſter confeſſionis & abſolutionis ſit idem, hinc de utroque agitur, inſuper de ejus jurisdictione: ac obligatione Sigilli. Cæteris, quæ qualitatem, & munera *Judicis*, *Doctoris*, ac *Medici*: item caſus reſervatos ſpectant, ad Theologiam moralem amandatis.

§. I.

An ſolus Sacerdos ſit Miniſter Sacramenti pœnitentiæ.

425 Waldensium error fuit, probo laico, non item improbo ſacerdoti poteſtatem competere abſolvendi. Secutus eſt errantes Wiclefus:

clesus; hinc de hæresi suspectos interrogari voluit MARTINUS V. „ num crederent, quod „ fideles habita copia Sacerdotis idonei „ teneantur de necessitate salutis confiteri „ Sacerdoti, non laico, seu laicis quantum- „ cunque bonis & devotis? „ LUTHERUS ut baptizandi, ita & absolvendi potestatem non negaverat dæmoni in officium Pastoris irrepenti: cum docuisset, & communiter doceant Protestantes, absolutionem tantum constare in annuntiatione Evangelii, & declaratione criminis, intuitu fidei in Christum jam remissi, seu non imputati: consequens est, alios quoque, præter Pastores, annuntiare posse remissionem, id est, suo sensu absolvere; etiamsi hoc fiat joci gratia. Quæ omnia damnavit Concil. TRIDENT. Sess. XIV. Can. IX. X.

RESOLUTIO I. Soli Sacerdotes, prout 426
includuntur etiam Episcopi, sunt ministri Sacramenti pœnitentiæ. *de fide.*

Prob. I. e Sacra Scriptura. Ad solos Apostolos & eorum successores dixit Christus: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* atqui hæc verba innuunt potestatem absolvendi, cum iisdem fuerit Sacramentum hoc institutum, in absolutione principaliter consistat, ut, suo loco dictum est.

Prob. II. Traditione constanti & unani- 427
mi consensu omnium Ecclesiarum tam orientis, quam occidentis. Quarum textus pas-

ſim exſtant apud theologos dogmaticos. vid. decretum Eugenii IV. ad Armenos, & Concil. Trident. Seſſ. XIV. cap. 6.

428 *Prob. III.* Ratione. Illi ſoli ſunt miniſtri Sacramenti hujus, quibus eſt conceſſa poteſtas regendi Eccleſiam Dei, cum abſolutio ſit actus juriſdictionis; atqui poteſtas regendi ſolis Epiſcopis & Presbyteris jure divino conceſſa fuit, juxta illud Act. XX. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* &c. quod nec ad Diaconos, nec ad laicos dictum fuit.

429 Objic. contra I. Reſolutionem. Olim Diaconis facta fuit poteſtas infirmos reconciliandi abſente Presbytero: atqui reconciliatio illa erat Sacramentalis; cum ex nuper dictis in impoſitione pœnitentiæ non fuerint abſoluti Sacramentaliter. *Ergo.*

Major patet ex S. Cypriano Epiſt. XIII. ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Carthag. ubi de lapſis ita ſcribit: „ Quoniam tamen „ video facultatem veniendi ad vos nondum „ eſſe, & jam æſtatem cæpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis & gravibus in„ feſtat; occurrendum puto fratribus noſtris, „ ut qui libellos a Martyribus acceperunt, „ & prærogativa eorum apud Deum adjuva„ ri poſſunt; ſi incommodo aliquo & infirmi„ tatis periculo occupati fuerint, non exſpe-

„ ctata

„ ctata præſentia noſtra, apud Presbyterum
„ quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter
„ repertus non fuerit, apud Diaconum quo-
„ que exomologeſin facere delicti ſui poſſint,
„ ut manu eis in poenitentiam impoſita ve-
„ niant ad Dominum cum pace, quam dari
„ Martyres literis ad nos factis deſiderarunt. „
Atqui exomologeſin facere, eſt confiteri Sacramentaliter apud eum, qui poſſit abſolvere a peccatis: ergo Diaconis conceſſa fuit facultas in neceſſitate abſolvendi.

II. Concil. Illiberitanum Can. XXXII. Diacono dat poteſtatem concedendæ communionis, *ſi ei juſſerit Sacerdos.* ergo &c.

III. Concil. Toletanum I. Can. II. Diaconos lapſos privat poteſtate imponendi manus pœnitentibus: ergo non lapſi eam habebant,

IV. Alucinus, & ordo Romanus dicunt: „ Diaconus ſuſcipiat pœnitentes, &
„ det eis ſanctam communionem. „

V. Cap. *fures* 2. de *furtis* ſtatuitur: „ Fu-
„ res & latrones, ſi in furando & deprædan-
„ do occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe
„ orandum. Sed ſi comprehenſi aut vulne-
„ rati Presbytero vel *Diacono* confeſſi fuerint,
„ communionem eis non negamus. „ Ergo
Diaconi fuerunt miniſtri confeſſionis, conſequenter & abſolutionis.

VI. Concil. *Eboracenſe* an. 1194. „ De- „ cernimus etiam, ut non niſi ſumma & gra- „ vi urgente neceſſitate Diaconus baptizet, „ vel corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœ- „ nitentiam confitenti imponat; ut juxta pa- „ ternorum tenorem canonum huic ordini ſa- „ cerdotali proprie convenire decrevit anti- „ quitas. „ Atqui imponere pœnitentiam, ſupponit poteſtatem, ſaltem *ligandi* ex dictis cap. præc. §. ult. *ergo* &c.

Respond. ad I. *diſting. maj.* Poteſtas reconciliandi infirmos, *canonice*, id eſt reſtituendi communioni Eccleſiæ, & juri Evchariſtiæ, vel etiam abſolvendi *indulgentialiter*, *conced.* cum enim hæc ſit jurisdictio fori externi, etiam Diaconis concedi poterat. *Abſolvendi Sacramentaliter, neg.* Vid. Natalis Alexandri Diſſert. IV. ſæculo III. Diſting. *min.* Reconciliatio illa erat Sacramentalis, quando fiebat a Perſona *habili*, poteſtate ordinis Sacerdotalis prædita, *conced.* ſecus, *neg.* exomologeſis vero illa, cujus meminit loco citato Cyprianus, non erat confeſſio *Sacramentalis*, ſed ſolennis pœnitentiæ ritus, quo lapſi coram Presbyteris, Diaconis, Clero, viduis, & fidelibus humi proſtrati, ſua deteſtabantur crimina, omnium ſe precibus commendabant, Eccleſiæ reſtitui, ac indulgentia donari petebant.

Ad II. *diſt.* Poteſtatem concedendæ communionis *Eccleſiaſticæ*, & *Canonicæ*, & for-

forte etiam juris participandi Sacramenta, *conced. Sacramentalis* absolutionis, *neg.*

Ad III. Illa impositio erat ceremonialis, Honoraria, & a Conciliis, ac Patribus toti permittitur Clero.

Ad IV. Illa susceptio pœnitentium aut solum erat ceremonialis, cum declaratione *doctrinali*, quænam pœnitentia ejus criminibus per canones sit statuta: aut erat absolutio *delegata ab excommunicatione* cum jure ministrandi Evcharistiam, si infirmus judicaverit, se per contritionem cum voto Sacramenti justificatum fuisse; non autem erat actus Jurisdictionis *Sacramentalis*.

Ad V. In Concilio TRIBURIENSI, cujus est ille Canon, loco *Diacono* legitur, DEO ET SACERDOTI. Sed servata lectione *Gratiani*, dico, confessionem illam non fuisse *Sacramentalem:* sicut dum fiebat laicis, ut statim dicetur: sed hunc habebat effectum, ut Ecclesiæ constaret de pœnitentia peccatoris, & voto Sacramenti, sicque pie præsumeret, eum gratiam a Deo obtinuisse, & dignum jam esse, quocum Ecclesia communicaret, propter dicta doloris maximi signa.

Ad VI. Disting. *maj.* Pœnitentiam imponat *Sacramentaliter*, *neg.* per modum alicujus *Sacramentalis;* ut in necessitate constituto, & absente Sacerdote Sacramenti ministro suis precibus ac monitis impetret gratiam

tiam divinam veræ contritionis, qua justificaretur extra Sacramentum, *conced.* Disting. *min.* imponere pœnitentiam supponit potestatem saltem ligandi, si imponatur a Persona *habili, conced.* secus, *neg.*

430 OBJIC. II. contra eandem Resolutionem. JACOBI V. dicitur: *confitemini alterutrum peccata vestra:* ergo quiscunque proximus, etiam laicus, est minister confessionis, consequenter & satisfactionis.

II. Fuit olim consuetudo, in necessitate absente Presbytero confitendi laico, uti *de* quodam testatur S. AUGUSTINUS ad Fortunatum, relatus a GRATIANO cap. XXXVI. *de* consecrat. D. IV. Auctor lib. de vera & falsa pœnitentia, relatus ab eodem cap. 88. §. 2. de Pœnit. D. I. & cap. 1. De pœnit. D.VI. GRATIANUS ad cap. 11. XXVI. Q. 6. PETRUS Lombardus lib. IV. sent. Dist. XVII. LANFRANCUS lib. de celanda confess. tom. XVIII. Bibl. Max. Vet. P.P. PETRUS Cantor Parisiens. in summa de Sacramentis fol. 203. PRÆPOSITIVUS in summa Ms. fol. 53. ALBERTUS Magnus in IV. D. XVII. Art. 58. qui etiam dicit A. 59. testante MORINO, absolutionem in necessitate datam a laico, esse Sacramentalem, quemadmodum Baptismus datus a laico. RAYMUNDUS lib. III. de pœnit. & remiss. §. XX. ALEXANDER Halensis quarta

ta parte ſummæ q. 19. membro 1. Art. 1. ait, abſolutionem datam a laico eſſe abſolutionis a Deo impetrationem. S. BONAVENTURA in IV. D. XVII. Parte III. dub. I. & Art. 1. Q. 1. teſtatur, non nullos doctores exiſtimare, confeſſionem illam factam laico, eſſe Sacramentalem, quamvis ipſe contrarium probabilius judicet. Card. HOSTIENSIS lib. V. ſummæ tit. de pœnit. & remiſſ. n. 14. quorum omnium verba referuntur a MORINO de Pœnitent. lib. VIII. cap. 24. pag. 407. ſeq. Denique S. THOMAS in IV. D. XVII. Q. III. A. III. Solut. 2. & habetur in ſupplemento Q. 8. A. 2. „ Sicut Baptiſmus eſt Sacramentum „ neceſſitatis, ita & pœnitentia: Baptiſmus „ autem, quia eſt Sacramentum neceſſitatis, „ duplicem habet miniſtrum; unum, cui ex „ officio baptizare incumbit, ſcilicet Sacer„ dotem. Alium, cui ratione neceſſitatis di„ ſpenſatio Baptiſmi committitur. Et ita et„ iam miniſter pœnitentiæ, cui ex officio „ confeſſio eſt facienda, eſt Sacerdos, ſed „ in neceſſitate etiam laicus vicem Sacerdo„ tis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit. „ & reſponſione ad I. „ In Sacramento pœnitentiæ „ non ſolum eſt aliquid ex parte miniſtri, ſcilicet „ abſolutio, & ſatisfactionis injunctio, ſed etiam „ aliquid ex parte ipſius, qui ſuſcipit Sacra„ mentum, quod eſt etiam de eſſentia Sa„ cramenti, ſicut contritio & confeſſio. Sa„ tisfactio autem jam incipit eſſe a miniſtro,

„ in

„ in quantum eam injungit, & a pœnitente, „ in quantum eam implet: & ad plenitudi- „ nem Sacramenti utrumque debet concur- „ rere, quando poſſibile eſt; ſed quando ne- „ ceſſitas imminet, debet facere pœnitens, „ quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & „ confiteri, cui poteſt: qui quamvis Sacra- „ mentum perficere non poſſit, ut faciat id, „ quod ex parte Sacerdotis eſt, abſolutionem „ ſcilicet, defectum tamen Sacerdotis ſum- „ mus Sacerdos ſupplet. Nihilominus con- „ feſſio ex defectu Sacerdotis laico facta, Sa- „ cramentalis eſt *quodammodo*, quamvis non „ ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei „ id, quod eſt ex parte Sacerdotis. „ Et ad 2. docet, laicum eſſe confitentis judicem, eoquod ratione neceſſitatis, & Sacramenti adipiſcendi confitens eidem ſe ſubjecit. Ergo laicus eſt ſaltem miniſter confeſſionis, idque conformiter traditioni a tot auctoribus aſſertæ.

Respond. ad I. Diſting. Confitemini *alterutrum*, id eſt unus alteri, homo homini, ſed ad id ſpecialiter ordinato, hoc eſt, Sacerdoti, *conc.* cuilibet, *nego.* Nam immediate præmiſerat Jacobus: *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum &c. & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Ex quo dein ſtatim infert: *confitemini ergo alterutrum peccata veſtra.* Alii exponunt hunc locum de confeſſione generali peccatorum

venia-

venialium, quæ ſit aliquid Sacramentale, non Sacramentum: aut de deprecatione offenſæ in proximum commiſſæ, quæ proterve non eſt excuſanda, ſed humiliter agnoſcenda. Diſtinguo *conſeq.* ergo quisque laicus eſt miniſter confeſſionis, *Sacramentaliter* acceptæ, *neg.* factæ ex humilitate, ut ex opere operantis utriusque tam confitentis, quam excipientis & deprecantis impetretur gratia veræ pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum extra Sacramentum, *conced.*

Respond. ad II. Concedo, illam viguiſſe conſuetudinem, confitendi in neceſſitate laicis, non ex præcepto, ſed ex humilitate & deſiderio, ſeu voto Sacramenti, cujus intuitu deſtituti copia Sacerdotis gratiam remiſſionis extra Sacramentum ſeu ex opere operantis a Deo ſperabant, quod textus ipſimet, ſi bene expendantur, clare ſatis innuunt.

Cæterum obſervandum, hanc conſuetudinem ita nunc exoleviſſe; ut vix amplius rationabilis videretur, ſaltem quoad graviora crimina, & occulta, quod hinc colligo. Sub Urbano VIII. quæſtionem moverat Miſſionarius quidam apud Sinas: an confeſſio Sacramentalis neceſſitate urgente non poſſet fieri laicis? ſi enim id liceret, via facilis foret audiendi confeſſiones pœnitentium fœminarum, quæ illic cuſtodiuntur arctiſſime, nec aditus patet confeſſariis. Hanc controverſiam diſcepta-

ſceptari juſſit citatus Pontifex: ſed negative deciſa fuit, ut notat SANDINI ad vitam URBANI VIII. Non puto, Miſſionarium illum adeo rudem fuiſſe, ut neſciret, poteſtatem clavium ſolis Sacerdotibus fuiſſe a Chriſto conceſſam, non autem laicis, minus fœminis. Vid. textus notabiles *cap.* X. de pœnit. & remiſſ. ſed dubitavit forte, an non in illis circumſtantiis confeſſio fieri poſſet laicis, etiam fœminis, quæ deinceps confeſſario Sacerdoti, pro abſolutione Sacramentali impetranda, peccata nuntiarent. ſed, ut jam dixi, repulſam merito tulit.

431 RESOLUTIO II. In Miniſtro ad validam abſolutionem, præter poteſtatem ordinis ſacerdotalis, requiritur etiam Jurisdictio *vel ordinaria*, vel *delegata*. ita expreſſe Concil. Trident. Seſſ. XIV. cap. 7.

Prob. I. Ad Eccleſiæ regimen, & exercendam poteſtatem judiciariam requiritur legitima miſſio, & jurisdictio, ut colligitur ex eo; quod, cum Chriſtus Apoſtolis dederit poteſtatem remittendi peccata, præmiſerit: *ſicut miſit me Pater, ita ego mitto vos: accipite Spiritum ſanctum* &c. ubi utraque poteſtas & ordinis, & jurisdictionis conjuncta eſt: atqui abſolutio pertinet ad regimen Eccleſiæ, & eſt actus Judicii ſpiritualis in foro conſcientiæ. ergo &c. II. Judiciaria poteſtas exerceri non poteſt niſi in ſubditos: atqui nullus fide-

lis

lis determinato Sacerdoti eſt ſubditus, ſed, ut eidem ſubjiciatur, Sacerdoti a ſuperiore legitimo jurisdictio in eum conferri debet, prout in foro ſæculari nullus eſt Judex competens, niſi habeat jurisdictionem in reum. Cæterum jurisdictio *ordinaria* obtinetur per collationem Epiſcopatus, aut beneficii curati, quibus ex officio cura animarum eſt annexa. *Delegata* per approbationem Epiſcopi, quam Regularibus quoque in ordine ad ſæculares neceſſariam eſſe, indubitati Juris eſt.

Objic. contra II. Reſolutionem. Omnis Presbyter in ſua ordinatione accipit poteſtatem abſolvendi, his verbis ab Epiſcopo cum manus impoſitione prolatis. *Accipite Spiritum ſanctum* &c. ergo non indiget nova Jurisdictione. 432

II. Jurisdictio non eſt neceſſaria de neceſſitate Sacramenti, ſed tantum præcepti, ut patet quoad alia Sacramenta: ergo abſolutio absque jurisdictione ſaltem eſt *valida*, quamvis illicita,

III. In judicio ſæculari quisque privatus poteſt ſibi eligere judicem, ſeu arbitrum: ergo etiam fidelis confiteri poteſt cuilibet Sacerdoti, cujus ſe judicio ipſo actu ſubjicit, & jurisdictionem in eum prorogat.

IV. Saltem absque jurisdictione ſacerdos audire poteſt confeſſionem ſolorum venialium:

 ergo

ergo jurisdictio non requiritur ad valorem Sacramenti.

Respond. ad I. *Disting.* Accipit potestatem absolvendi, *radicalem*, *conced.* *completam*, *neg.* Apostoli quidem his verbis acceperant potestatem absolvendi; quia verbis antecedentibus: *ego mitto vos*, simul acceperant jurisdictionem missioni annexam, ut & prioribus Ecclesiæ sæculis, ubi Sacerdotes non ordinabantur nisi ad certum titulum Ecclesiæ, seu ad plebem determinatam, cui jam erat cura animarum ordinaria annexa; nunc vero, dum multi ordinantur *Vage*, sine ordine ad subditos, indigent speciali deputatione, seu jurisdictionis exercitio.

Ad II. nego *conf.* Disparitas inter *hoc* & alia Sacramenta est; quod in hoc exerceatur potestas judiciaria, quæ supponit jurisdictionem.

Ad III. Disting. *anteced.* In causis civilibus, ubi habent de rebus suis liberam disponendi facultatem, *conced.* in criminalibus, ubi agitur de offensa principis, reipublicæ, *nego.* atqui judicium Sacramentale est criminale. Contrarium enim declaravit congregatio Cardinalium 1679. & decretum approbavit Innocentius XI. falsissima est ergo quorumdam, quos novi, persuasio.

§. II.

De Sigillo Sacramentali.

Hoc *ſigillum* dicitur etiam alias *ſecretum* confeſſionis, poteſtque ſpectari vel ex parte confitentis, vel ex parte Sacerdotis audientis. Quoad primum Chriſtus non præcepit, eam debere eſſe ſecretam, nec prohibuit, quin aliquis, ſi ita vellet, ex humilitate & ad ædificationem Eccleſiæ peccata ſua publice confiteri poſſet, quod in Eccleſia veteri ſæpius contigit de conſilio Sacerdotis; ſed nec hodie ullum exſtat præceptum publicæ confeſſionis: quod utrumque docet Concil. Trident. Seſſ. XIV. cap. 5. Ex parte autem Sacerdotis omnino ſecreta eſſe debet, ut nullo caſu, citra pœnitentis expreſſam & liberrimam conceſſionem, peccata in Sacramentali confeſſione audita manifeſtare liceat. Hinc apte vocatur *ſigillum*, quo arcana litterarum obſignari, & claudi ſolent, ne ad alterius veniant notitiam: cumque Sacerdos Dei loco confeſſiones audiat, omnino in nullius, quam Dei notitiam venire debent. Quæ huc ſpectant, paucis expediam. 433

Resolutio. Sigillum confeſſionis omni jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico ſub gravi peccato obligat. 434

Prob. I. pars. Ipsa natura dictat, secrete communicata, ex quorum manifestatione infamia, aut grave præjudicium confitenti oriri posset, publicanda non esse, fundaturque in illo principio: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* atqui nemo vult, secreta sua manifestari, maxime ob turpitudinem peccati, indeque resultantem infamiam & ruborem. Intercedit quoque contractus innominatus: *facio, ut non facias:* fateor, ne prodas secretum. Ergo secretum obligat jure naturali. Insuper quilibet habet jus in propriam famam, quod læditur per manifestationem secreti. ergo &c.

435 *Prob. II.* pars. Confessio est juris divini: ergo etiam secretum; quia sine hoc tolleretur usus confessionis, & finis a Christo intentus; quis enim confiteri vellet cum tanto famæ, quandoque etiam vitæ periculo? Accedit, quod confessarius sit quasi una cum Christo Persona, cujus vice fungitur: atqui Christus peccata sibi cognita vult esse occulta, nec *illuminabit abscondita tenebrarum, nec manifestabit consilia cordium,* nisi in die revelationis justi judicii Dei. ergo.

436 *Prob. III.* pars. Semper enim Ecclesia confessionis secretum solicite custodiri voluit, ut constat ex pluribus canonibus, & Patrum textibus passim de confessione adductis. Vid. can. XXI. Concil. LATERANENSIS IV. relatus,

tus, cap. 12. de pœnit. & remiſſ. ubi & pœna depoſitionis & relegationis ad perpetuam in arcto monaſterio agendam pœnitentiam taxatur. Vid. etiam cap. 2. de Pœnit. & 6. quo perpetua quoque pœnitentia infligitur. Vid. etiam Concil. TRIDENTINUM Seſſ. XIV. cap. 5.

Prob. IV. pars. Qualibet violatione ſigilli gravis infertur irreverentia, & injuria Sacramento, utpote quæ fideles abſterreret ab uſu Sacramenti, confeſſionemque ultra modum redderet odioſam; hinc communis ſententia docet, ſemper eſſe grave ſacrilegium, nec eam ullo caſu permitti. Ideo ut obſervat S. THOMAS II. 2. Q. X. A. I. ad 2. quamvis ſigillum naturale non obliget in præjudicium reipublicæ; quia ſecretum ejusmodi eſt concreditum homini, qui eſt pars reipublicæ: contra ſecreta confeſſionis concreduntur Sacerdoti, non ut eſt membrum reipublicæ, ſed ut fungitur Perſona Chriſti. Indeque infert, nullis tormentis vinci debere Sacerdotem, ut manifeſtet occulta Confeſſionis; cujus illuſtre Exemplum præbuit S. JOANNES Nepomucenus. Inde autem colligunt theologi, non dari parvitatem materiæ in hoc peccato ſacrilegii contra Religionem, ſed ſemper eſſe mortale peccatum, ob rationem jam inſinuatam. 437

438 Comprehenditur autem sub sigillo id omne, cujus manifestatio confessionem redderet odiosam: non tantum ipsa peccata, seu gravia, seu levia, sed eorum quoque circumstantiae, socii criminum, tentationes, inurbani mores, defectus naturales &c. obligat etiam non solum Sacerdotem, sed & omnes, ad quos ea Sacramentalis notitia forte devenit, v. g. circumstantes S. tribunal, interpretem, aut qui casu legeret scriptam confessionem: quod quidem si advertat, statim tenetur abrumpere. Violari potest *directe*, dum verbis conceptis panditur, quod erat in confessione expositum: vel *indirecte*, quando ex dictis, factisque confessarii colligitur, quid ipsi in confessione fuerit declaratum, sicque deprehendi posset ipse confitens. De poenitentis *tamen* licentia vel cum ipsomet poenitente extra Sacramentum, vel cum alio v. g. consilii capiendi gratia loqui licet de auditis in confessione, si modo *libera* sit illa licentia & *expressa*, non praesumpta. Contraria quaedam propositio damnata fuit anno 1682. 19. Novemb. Quae ita sonat: *Scientia ex confessione acquisita, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione & gravamine poenitentis, uti licet, si aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur: addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacun-*

cunque revelatione, atque in caſu, quo multo gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur.

Quodſi pœnitens in bonum reipublicæ quidpiam revelari permittat, conſultius fuerit, ut id ipſe pœnitens faciat, ne quoquomodo ſuſpicio violati ſigilli in Sacerdotem cadat, & invidia creetur Sacramento, aut ſcandalum proximo. Tandem CLEMENS VIII. declaravit, ſuperiores ad externam gubernationem uti nunquam poſſe notitia ex confeſſione hauſta.

OBJIC. Eccleſia vetus publicam præcepit 439
confeſſionem, peccatis occultis publicam inflixit pœnitentiam, & uſa fuit notitia ſecretæ confeſſionis, ut conſtat ex facto NECTARII CP. deponentis Diaconum, qui ſtupraverat matronam nobilem. ergo &c.

REPOND. Confeſſionem publicam fuiſſe præceptam de peccatis jam aliunde publicis, aut de ſecretis etiam, ſed tamen de conſenſu pœnitentis. Ad factum Nectarii dici poteſt, aut mulierem illam publice fuiſſe confeſſam, ſicque manifeſtaſſe complicem criminis. Quod ſi ſecreto confeſſa fuit, ſupponitur dediſſe licentiam Pœnitentiario manifeſtandi, aut ipſammet ſuum ſtupratorem denuntiaſſe Epiſcopo. VALESIUS in not. ad illum locum SOCRATIS exiſtimat, Pœnitentia-

tiarium Presbyterum, cui mulier hoc flagitium secreto confessa fuerat, primum quidem accersivisse Diaconum, & eum coram muliere (utique in id consentiente) arguisse, & ad criminis confessionem compulisse, deinde vero rem omnem retulisse ad Nectarium, non publicato tamen matronæ nomine: quem proin tanquam criminis convictum Nectarius Ecclesia ejecit. Atque ita nulla contigit violatio sigilli.

In omnibus glorificetur Deus!

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

TOMI XI.

Errata		Corrigenda
Pag. Lin.		
19. 20. quidem	- -	quidam
20. 25. juſta	- -	Juſtitiæ
72. 16. ubique	- -	utique

Scholliner, Hermann, 1722-1795

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ...
Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 11

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1765

Dogm. 895-11
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399417-3
VD18 80212336